BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
26 E
28

Caiet.s J. de Carlis Vicarius G.lis
Mediolani. 1749.

Digitized by Google

14. 26. E. 28

S. SATYRI CONFESSORIS DIVI AMBROSII FRATRIS

In Baſilica olim Portiana,

Nunc Sancti Victoris ad Corpus Mediolani quieſcentis

TVMVLVS ILLVSTRATVS

A P. D. RAPHAELE MONETA

Mediolanenſi Monaco Oliuetano.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GENVÆ, M.DC.LVI.

Ex Typographia Benedicti Guaſchi.

SVPERIORVM PERMISSV.

1656. die 22. Auguſti.

Imprimatur ex auctoritate Illuſtriſs. Magiſtratus Inquiſitorum Sratus.

Franciſcus Caſtellinus Cancell.

GIBERTO BORROMAEO S. R. E. CADINALI EMINENTISSIMO.

Libellum hunc, Cardinalis Amplissime, ſi ſemel oculis excurrere non grauaberis, intelliges ſtatim cur ad te rectà contenderit; ſiquidem eam propugnat veritatem, quæ à D. Caroli oculatiſsimo teſtimonio comprobationem accepit. Quid ni igitur patrocinium ab illo petat, qui D. Caroli hæres eſt non minus in virtutū

copia; quàm in ſanguinis prerogatiuis? Quod ad me attinet, non ſum paſſus magnæ illius animæ acta ad trutinam reuocari. Ingẽs in rebus ſacris mentis ardor, diligentiſſimum in omnibus ſtudiũ, rerum peritia, numinis aſsiſtentia, quibus ille abundè fuit inſtructus, ſatis tutos nos reddunt. Et tamen, cum non defuerit, qui ſuper hac ſecuritate, cui ſemper indormiuimus, eidem ac nobis præiudicia licet præpoſtera conſtruxerit; tuæ auctoritatis partes erunt, hæc vtcumquè diſſoluere. Id commodi, vtilitatiſquè meæ eſt, quod me ad laborem hunc apologeticum tibi dicandum impulerit; cęterùm, eo amoto, pro-

pr:o

prio adhuc iure tibi deberi nullus inficiabitur; ſiue quia Oliuetanus Ordo, qui Sãctiſſimo Heroi, dũ vixit, in pretio, in vſu, & in delicijs fuit, clariſſimę familię tuę obæratum ſe ſentit, ſiue quia ego præclaris tuis meritis, ac virtutibus addictiſsimus, ſummam meã obſeruantiam, ac reuerentiam in te, quanquàm nondum de facie cognitum, iamdiù debebam aperire. Vale, ſacræ purpurę, quam deoſculor, ornamentum ac decus. Mediolani. Idibus Nouembris CIƆ IƆCLVI.

Amplitudinis tuæ Emin.

Infimus cliens
D. Raphael Moneta Mediolanenſis
Monachus S. Victoris.

Facultas

Facultas Reuerendiſs. P. D. Romualdi Cauacciæ Genuenſis Congregationis Oliuetanæ Abbas Generalis.

CVM opus inſcriptum, *Sancti Satyri Confeſſoris D. Ambroſij fratris Tumulus illuſtratus* à P.D. Raphaele Moneta Mediolanenſi noſtrę Congregationis Monacho compoſitum nonnulli eiuſdem noſtræ Congregationis Theologi recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, facultatem impertimur, vt ſi ita ad quos pertinet, videbitur, typis mandetur. In quorum fidem pręſentes manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Ex Monaſterio noſtro Montis Oliueti Maioris die 23. Iulij 1656.

D. Romualdus de Genua Abbas Generalis qui ſupra.

Locus ✠ Sigilli.

D. Ioſeph Maria de Vrbe à Secretis de mandato.

CEN-

CENSVRA.

EX ſpeciali commiſſione Reuerendiſs. P. Magiſtri Auguſtini Cermelli Generalis Inquiſitionis huius Sereniſs. Dominij Genuenſis attentè legi huiuſmodi manuſcriptum videlicet *S. Satyri Confeſſoris D. Ambroſij fratris; In Baſilica olim Portiana, nunc S. Victoris ad Corpus Mediolani quieſcentis, tumulus illuſtratus à P. D. Raphaele Moneta Mediolanenſi Monaco Oliuetano.*

Quod quidem meo videri eſt pro veritate apologeticũ; In illo enim Oliuetanus Raphael ad tumulum myſticum ducit Tobiam, & reducit, non ſatyricis vſus facibus, ſed perlucidis illuſtrans luminibus Satyranum corpus; ac vtiquè trahens de occultis ſuauiter veritatem: & ideo cum nihil omnino, aut Sanctę fidei, aut bonis moribus ſit aduerſum, quinimmò multa pietate refertum, vt typis mandetur, & corde, & manu dignum exiſtimo. Ex Pacificæ Deiparæ Genuenſi Cœnobio die 18. Auguſti 1656.

Frater Dionyſius à Genua ex Reformatis Minoritis Prouin. Miniſter ac Generalis Sanctiſsimæ Inquiſitionis Conſultor &c.

Stante

STante prædicta atteſtatione de mandato Reuerendiſs. Patris Inquiſitoris.

Imprimatur Frater Thomas de Auguſtinis Lector S. Officij Genuæ Cancell.

SYL-

SYLLABVS OPERIS.

FAX PRÆVIA.

FAX I. Oſtendens obitum S. Satyri contigiſſe antequam Ambroſiana Baſilica eius eſſet idonea ſepultura. Pag. 1

FAX II. Indicans nec Marcellinam adfuiſſe Satyro morienti, nequè huic Ambroſium in ſua Baſilica parentaſſe. 39

FAX III. Qua ducet S. Satyrum non fuiſſe humatum in Sacello ſui nominis apud Ambroſianã, neq; illud fuiſſe Baſilicam Fauſtæ. 71

FAX IV. Extinguens rationes, quibus contenditur Cappellam S. Satyri eſſe Baſilicam Fauſtinianam. 113

FAX V. Demonſtrans Diuum Satyrum ſepultum fuiſſe in Baſilica Sancti Victoris olim Portiana. 144

FAX VI. Abigens tenebras falsò aſſertæ translationis corporis Sancti Victoris è Portiana in Ambroſianam. 168

FAX VII. Incinerans fundamẽta translationis corporis Sancti Victoris in Ambroſianã. 205

FAX VIII. Admota monumentis, Diuum Satyrum in Am-

Ambroſiana Baſilica requieſcere docentibus, eorum vitia detegit. 236
FAX IX. Affulgens Victoris tumulo in eius Æde; nec non Ambroſij exuuias in illa quærens; eiuſdemquè Ædis ſtructuram illuſtrans. 278
FAX X. Demonſtrans nil probabilitatis habere delationem Capitis S. Victoris noſtri ad Vrbem Volaterranam. 298
FAX XI. Prælucens publicis Tabulis, ſuper exiſtentia Sanctorum Victoris & Satyri in Portiana Baſilica confectis. 323
FAX XII. Tabulæ in agnitione Sacrorum Corporum Victoris & Satyri ad Portianam confectæ. 352

AVCTOR


DENVO EMERGVNT



AVTHOR LECTORI
Beneuolo veritatis Studioſo.

P*Rodibat Mediolani anno* 1645. *liber cui titulus*, Ambroſianæ Mediolani Baſilicæ Monumenta; *Ioanne Petro Puricello Authore, quùm ego Superiorum iuſſu, ſpiritualis tyrocinij præfecturam in Agro Brixienſi, ab vrbe, ac ſæculo penè remotus, exercerem. Nequè id oneris, quod per plures inſequentes annos protrahere coactus ſum, huiuſcemodi Hiſtorias quærere, aut euoluere ſinebat. Anno demùm ſuperiore* 1655. *è ſolitudine emergens in Patriam veni, ibiq; ab amico monitus, tùm de volumine edito, tùm de ſententia, quam contineret, ſcilicet in noſtra Mediolanenſi Sancti Victoris Baſilica, nec ipſius Martyris, nec Sancti Confeſſoris Satyri exuuias reperiri; dici vix poteſt quàm fuerim admiratus, & rei nouitatem, & hominis confidentiam, & noſtrorum in tanta*

** *iniuria*

iniuria indolentiam , & ſilentium . Maiorem mouit bilem occaſio comitandi exteros, Templum Cenobiumq; Victorianum inuiſentes ; ſemel enim Religioſus Vir ex inſigniſsimo Societatis Ieſu Inſtituto , & præcipuæ dignitatis , indicanti mihi ſub Altari principe condi Martyris Victoris Mauri , & Satyri Sancti Ambroſij germani fratris oſſa , reſpondit ; Nuper ſibi , dum aliam non longè diſtantem Baſilicam inuiſeret , ſanctè affirmatum , in eadem Sancti huius Satyri corpus aſſeruari. Bini ergo nè , aiebat fuerunt Satyri , an vnicus , ſed bicorporeus ? Túm ego Altare detegens, in marmore , ſub quo Sacræ latent Reliquiæ legendam obtuli inſulptam Epigraphem , enarrantem , eas à B. Carolo Cardinali , & Archiepiſcopo in Baſilica Victoriana veteri publicè repertas, anno 1576. ad hanc nouam eſſe tranſlatas , ibiq; reconditas . His viſis , viſus eſt aquieſcere . Iterum verò , dum eadem aduenæ , virtute , ac genere præſtanti , repeterem , à ciuibus noſtris , illum obſequij gratia comitantibus , pernegata ſunt ; aſſerentibus , latè probatum à Puricello, Sancti Satyri Corpus, &

Prouincialis.

ex

ex conſequenti S. Victoris, non niſi in Templo diui Ambroſij tumulatum. Ex tunc profectò deſiderium vehemens exarſit videndi codicem; in quo apud amicum tandem reperto, ſub num. 19. legi, vti ex infirmis dumtaxat conjecturis, & ſuppoſitis (vt ſcholaſticè loquar) minimè ſubſiſtentibus, excogitauerit auctor alioquì eruditus, contra receptiſsimam, adeoq; teſtatam ſententiam, tale commentum; quo ſibi ſuaſum habuerit, tàm clientibus ſuis rem gratam facere, quàm rudi populo imponere. Inde autem deſij admirari, cur ex noſtris nemo confutationi talium argumentorum operam dederit: vt potè quod nec ipſa, tanquàm leuiſsima, reſponſionũ indiga, nec authorem tanto honore dignum, exiſtimauerint. Et quidem ſola Diui Caroli inſpectio, recens adhuc in hominum memoria. Diui inquam Caroli, cuius notæ Præſulis? ſola eius iuſſu lapidibus inſculpta enarratio; ſola publicæ tabulæ, quas hic imprimendas curauimus, videri poterant ſatis ad errorem hunc redarguendũ: attamen vt cunctis diſpaleſceret, quàm imbecillis arietibus altius infixam animis veritatem à ſua ſede deturbare conatus ſit: operæ pretium

nos facturos eſſe putauimus, ſi eius rationes, ſi auctoritates, ſi cõiecturas in mediũ adductas, ad trutinã reuocaremus. Quo in examine ſi quid interdũ liberè nimis, aut acriter intortum, in aduerſariũ videatur; ipſe, & qui legerit, excuſabit; tùm ſi perpendat: tàm eſſe reprehenſione dignũ illum, qui, alienam poſſeſſionem turbando, integra vniuerſitati non irritatus moleſtiam intulerit, quàm veniâ, eum, qui laceſſitus, dum propria tuetur, in aliquam lædentis impegerit læſionem; tùm ſi animaduertat, quàm intem-
Num.476. *peranter ipſe cum Ioanne Antonio Caſtellionæo, viro paris nobilitatis ac in rebus patrijs ſcribẽdis fidei, & diligentiæ, ſe geſſerit. Cum enim ſcripſerit ſuo tempore dubitatum, an Sanctiſs. Ambroſij, Geruaſij ac Protaſij corpora in Ambroſiana Baſilica reperirentur (cui tamen dubitationi ipſe non ſubſcribit, quinimò reluctatur) Puricellus ait, pronunciaſſe* rem auditu fœdam, ſibique pudendam relatu, *Et*, quis talia effutientem, blaterantemquè non miretur? *Item*, Ille profectò in hac re plurimùm hallucinatus, *Rurſuſquè* Profectò ſomniauit. *Concluditque paragraphũ*

acerrima

acerrima Epiplexi: An etiam expectamus, vt articulatis hoc ipſum, *ſcilicet D. Ambroſij corpus adhuc in Ambroſiana requieſcere*, vocibus beſtiæ per vrbes, & compita loquantur? *Leuioribus certè ſuſpicionibus ductus eſt Puricellus ad deneganda Baſilicæ Victorianæ ſacra pignora: ſi ea tamen illi negotium aliquod faceſsiſſent; prudens ſcriptor ijs rationibus inniti debuerat, quæ eò ſunt probabiliores, quò præter afferentium auctoritatē, rebus ſub illis temporibus geſtis comprobantur. At ob incerta indicia ad incertiores illationes deſcendere, perinde eſt, ac malam cauſam in iuditio, cum egrè tueri valeas, nouis difficultatibus implicare, vt locus ſit paroemiæ,*

Non litem ſoluit, qui litē lite reſoluit.

Summa tamen hæc eſto, me, non conuiciandi gratia, ſed propriæ Eccleſiæ dignitatis aſſerendæ, calamo manum appoſuiſſe. Vale.

FAX

FAX PRÆVIA.

SPLENDIDAE licèt in Cælis Sanctorum Animæ, ſicut ſol in conſpectu Dei, refulgeant: corpora tamen eorumdem in terris, altis infoſſa tenebris, ſæpenumerò deliteſcunt; ſiue hoc ipſis efflagitantibus Diuis, quibus aſpernantibus quodcumquè terrenum decus gloriæ, tota portio ſit in terra viuentium: ſiue mortalium id promerente nequitia, quibus irratus Deus Defẽſores occultat: nec enim eorum reliquìas digni ſunt colere, quorum detrectant imitari virtutem. Intereà dum corpora Sanctorum in pace ſepulta latent, dimicant inter ſe gentes, certatìm ſibi eorum corpora vendicantes: quorum ſola nomina apud eas viuunt in generationem, & generationem. Hinc in diuerſis Eccleſiaſticis hiſtorijs

nihil

Card. Valer. lib. de SS. Veronæ cultis.

nihil frequentius, nil magis obuium, quàm in vno, atquè altero, aut etiam pluribus locis idem Sancti Corpus iacere. Oſſa Sancti Iacobi Maioris Apoſtoli, ad quæ ex toto terrarum Orbe Gallęcianam peregrinationem fideles ineunt; Veronenſes exiſtimant ſe colere in Eccleſia noſtri Ordinis Grigianẽſis agri, non ſine ingentibus miraculis inuenta, vt inquiunt; ſub finem ſæculi Chriſtiani quartidecimi. Apud nos itidem in Eccleſia Sancti Laurentij veneratur Gremona etiam cum publica Magiſtratus ãnua oblatione, Corpora SS. Martyrum Perſarum Marij, & Marthę, Coniugum, in Arca marmorea, affabrè elaborata per egregium Sculptorem Ieremiam Cremonenſem: quæ eadem Romæ Diaconia Sancti Hadriani, nec non Eccleſia SS. Quatuor Coronatorum, in expoſitis marmoreis tabulis, ſibi aſciſcunt. Gloriantur Venetiæ de corporibus Sancti Stephani Prothomartyris, & S. Nicolai Magni Myrẽſis Epi-

Lancellott. in Hiſt. Oliuetana.

Vaſarius in Vitis Pictorũ 3. p.

Epiſcopi, cum tamen alterum Romæ ad S. Laurentij extra muros, alterum Barij in Apulia colantur. Denique veriſſimè pronunciauit Alciatus: *Innumeræ Diuorum reliquiæ, & plerumque eædem vbique gentium reperiuntur, & rumor, falſis authoribus principio vulgatus, ita demum animis nepotum inſidet, vt veriſſimum eſſe vel iurati affirment*, quamdiu ſcilicet incerti manent abſque legitima ſuperiorum approbatione. Cuius rei cauſa multiplex eſſe poteſt: aut enim, qui partem dumtaxat Sancti alicuius poſſidet, per piam extẽſionem, vt ait Cardinalis Valerius, integrum ſibi aſſerunt: cùm tamẽ apud alios partes quoquè ſint reliquæ, ab iiſdem pariter pro toto vulgatæ: aut ſacris reliquiis clãculùm ſubductis, alioq; aſportatis, priora ſepulcra vel inania relinquuntur, vel ſuppoſititijs corporibus replentur, ita vt fiãt mendacia Cenotaphia, dum in ſolo tranſlationis loco verum loquuntur Epigraphes; aut quia poſtquàm conti-

Rerũ Patriæ lib. 3.

Lib. de SS. Veronenſib.

Philippus Ferrarius.

gerit ex vno in alium locum transferri, dum alius prioris, alius poſterioris loci meminit ſcribendo, plura videntur loca eidem corpori aſſignari: aut demùm cum plures reperiantur Sancti cognomines, ſepulti apud Gentes diuerſas, vnaquæquè, reiecto minùs illuſtri, magis clarum ſibi præſumit: ſicut de duobus Nicolais accidit. Qui namque Venetijs colitur, Sanctus & ipſe Myræ Epiſcopus, fortè alius fuit antiquior, & auunculus alterius Nicolai, cognomento Magni, qui Barij requieſcit: & tamen ille pro celebriori hoc venditatur. Huiuſmodi erroribus, quos hominibus parturit innatus amor erga Patriam, familiã, genus, & aliud quodcumque proprium, quæritans vndècũque gloriam, ſeu veram, ſeu iactatam, obſtetricatur edacitas temporis: quippè dum ineluctabili arrodit dente manufacta mortalium marmora, æraquè ipſa (ne dum literaria monumenta) ac ſus deque omnia vertit, noua ſubſtituendo

Beatillus in vita S. Nicol. Magni.

tuendo veteribus, ita veſtigatores antiquitatum confundit, vt propè difficilius non ſit, diuinare futura, quàm explorare præterita; quandoquidem eſt vtrôbiquè coniecturis agendum. Eapropter ſunt inter cęteros Scriptores de re literaria maximè benemeriti, qui tempori colluctantes, hiſtoriæ ſcribēdæ deſudant, aut conſignando literis ſuorum temporum, quibus interfuerunt, acta; aut ex ætatum ruinis eruendo, quæ rurſum componant, priſcæ veritatis fragmenta. At nequè ſic veritati tutò conſultum eſt; alio namque, & alio prorſus modo rem eamdem accidiſſe, dum ſcribunt; ecce noua litiū ſeges: ſcinditur ſtudia in contraria vulgus, diſceptatur hinc inde; quiſquè pro ſe allegat authores ſibi fauentes. Quod veritatis detrimentum peſſimum eſt, vbi de Sanctorum cultu agitur: etenim hærentes animi, ancipites, neutras Reliquiarum ſanctarum, quæ in diuerſis locis eædem aſſeruntur, aut etiam ado-

randæ exponuntur; firma fide, & religione venerantur. Quid ergo agendum, vt nec Sanctorum exuuię debito honore fraudentur, nec in Idoloduliā incidamus, non colenda colentes? In primis veneranda ſunto Diuorum ſiuè corpora, ſiue lipſana, quæ Sacroſancta Romana decernit Eccleſia. Proximè, quæcunq; nonnullis ſeruis Dei cęlitus reuelata ſunt. Siquidem non rarò id conſueuit Omnipotens præſtare; tùm ad cōſolationem fidelium, tùm ad glorificationem ipſarum Reliquiarum, è minùs honeſto loco transferendarum in decentiorem. Sic legimus, Luciano indicata corpora Sanctorum Stephani Prothomartyris, Gamalielis, Nicodemi & Abibonis: Patris, filij, ac nepotis: Diuo Ambroſio SS. Geruaſij, & Prothaſij, Vitalis, & Agricolæ, Nazarij, & Celſi: Diuo Norberto S. Gereonis, Ducis Legionis Thebæorum Martyrum. Denique apud Gazam Vrbem cui-

In Vita S. Stephani.

Paulinus in Vita S. Ambroſij.

cuidam piæ mulieri fideli oſtenſa ſunt colligenda è Camelorum ac iumentorum oſſibus, quibus intermixta fuerant, ne dignoſcerentur, oſſa trium fratrum Martyrum, Euſebij, Neſtabi, & Zenonis. Secundùm hæc, adorato eas reliquias, quæ huiuſmodi habentur citra controuerſiam, communi Populorum conſenſu. In cæteris verò, de quibus eſt concertatio: & ſi omnes tutò, imò & meritoriè, coli queant (nam adorantium fidem, & affectum reſpicit Deus: proptereà gratijs neminem fraudat optatis, vbicunque inuocentur deuotè Sancti, miracula præſtans) nihilominùs certiſſimam de ijs veritatem nos aſſecutos eſſe cenſebimus, ſi tumuli inſpiciantur, legitimè, & publica authoritate, ab Epiſcopis, coram illuſtribus, ac probatis teſtibus, nec non conuentis aduerſarijs, quorum intereſt, nec reclamantibus: inueniantúrquè ibi corpora cum anti-

Sozomenes lib. 5. cap. 8. & Baron. ad Ann. Christi 362. ar. 154.

quis inſcriptionibus, quæ neutiquam ſuppoſititiæ adiudicari queant: ac demum de loco, ſitu, tempore cuncta concordent cum priſcis ſcriptoribus, populi voce, & maiorum traditione: quæ omnia cũ locupletiſſimè habeamus pro exiſtentia Corporis S. Satyri Confeſſoris in Eccleſia Sancti Victoris ad Corpus, his non aquieſcere, ſed oppoſitum aſſerere inanibus coniecturis, extortis quorumdã ſcriptorum ſententijs, non cohærentibus ſuppoſitionibus, affixis heſternè inſcriptionibus, nec ipſa corpora vſpiã oſtendendo, res eſt non minus periculi, quam audaciæ plena.

Porrò deceſſit inclytus Confeſſor Chriſti Satyrus Mediolani, anno ſalutis trecenteſimo octuageſimo tertio, vt latè in ſequentibus illuſtrabo, recens ex Africa reuerſus apud Magnum Ambroſium: qui dilectiſſimum fratrem ſibi ſanctitate, moribus, &

vultu conſimillimum, in funere ore laudauit, oculis fleuit, humeris extulit, manibus tumulauit, ſupremi atquè æſtimatiſſimi obſequij muneris ergo, iuxtâ, & ad læuam S. Martyris Victoris Mauri, quem indubiè Sanctus Maternus Epiſcopus condiderat in Baſilica, nunc eius nominis, tunc Portiana vocata, à Portio conditore, filio celebris illius Philippi Oldani, qui in primitiua Eccleſia Mediolanenſi ſolatium fuit viuentium, ſepultor occumbentium; in qua eadem Baſilica tùm ipſe Ambroſius, tùm aliqui alij eius Prædeceſſores Cathedram tenuerunt. Rem ab origine claram, & ſequentium ſæculorum continuata traditione, literarumque monumentis teſtatam, vnus aut alter (præter Puricellum, cum quo congredimur) Scriptor, nec admodum perantiqui, verterunt in dubium: excidit enim ipſis è calamo, neſcio quo pacto, nullam affe-

afferentes ſuæ aſſertionis rationem S. Satyri Corpus iacere ad Sanctum Ambroſium: ducti fortè hac eorum propria ratiocinatione (cũ ante ipſos per mille ferè annos à depoſitione Sancti Confeſſoris nullus citetur pro huiuſmodi opinione) quod chariſſimum germanum alibi non ſepelierit Diuus Ambroſius, quàm in Baſilica à ſe extructa, & denominata, vbi ipſe, & Marcellina ſoror creduntur humati; non animaduertentes, quod alia fuerit ſacri funeris curatori ſententia, collocandi ſcilicet fratris reliquias, pro ſolemni eius æui Religione, apud Martyrem cuiuſmodi nullus extabat in illa Baſilica, tempore obitus Satyri. Siquidem prima in eam ſunt inuecta, dum conſecraretur, corpora Sanctorum Geruaſij ac Prothaſij, quadriennio poſt: & propterea tunc, vt adhuc prophana, idonea non erat ad Eccleſiaſticas functiones Sacrificio-

rum,

rum, publicarum precum, & ſepulturæ fidelium. Ignorauerunt pariter ijdem Scriptores, quod poſtea compertiſſimum effectum eſt, Martyrem, cui S. Ambroſius aſſociauit fratrē Satyrum, fuiſſe Victorem Maurum: quem procul dubio ipſi cum reliquis Scriptoribus vniuerſoquè Populo Mediolanenſi venerati ſunt ſemper in Baſilica ſui nominis, cognomento ad Corpus idcirco donata. Nihilominùs cum nihil vnquàm ſit tàm abſurdè dictum, cui aliqui non arrideant, excepta fuit cum plauſu à Monachis Ambroſianis hæc prolata caſu ſententia, habens dumtaxat Authores, per Chiliadem ferè poſteriores Diuo. Satyro, præter anonymum incertæ ætatis Manuſcriptum de vita eius. Ab inde arbitrati ſunt illius Monaſterij Cænobitæ, ſe corpus tanti Santi poſsidere. Conſtans tamen permanſit apud Oliuetanos, & cordatiores Mediolanenſes,

ſes, fides; illud in Baſilica Victoriana ſeruari. Omnis ambiguitas demûm ſublata eſt anno ſeptuageſimo ſexto ſupra milleſimum, & quingenteſimum: cum, per noſtros Magnificentiori exędificata æde, placuit Deo, ſiue Oliuetanos pro impenſo opere religioſo munerari, ſiue ſeruum ſuum Carolum Borromeum, ſacrarum Reliquiarum ſtudioſiſſimum, ac obſequentiſsimum conſolari. Tunc enim, aduocato Sancto Archiepiſcopo ad recognitionem Sanctorum Corporum, quæ transferenda erant è veteri in nouum Templum, ipſo præſente, ac inſpiciente, cum præclaro comitatu, diruto Altari, effoſsis, apertiſquè marmoreis Arcis, reperta ſunt inter cætera, Corpora Sanctorum Victoris, & Satyri in eodem loculo, cum eorum nominibus antiquiſſimæ notæ, in lateritijs lapidibus, pro Ceruicali ſingulis eorum ſubiectis. Gau-

dio

dio perfuſi ſunt omnes, potiſsimùm Beatus Præſes, qui tamen non leuis corde ad credendum, & ſtatuendum in re tàm graui, ſtudioſiſsimè ſcrutatus eſt ſingula; cum antiquis ſcripturis, ac traditionibus inuenta componens: videnſquè concordare, acciri voluit Ambroſianos Monachos: vt proferrent, ſi quid haberent obijciendum: quandoquidem publicum erat, eos eatenùs præſumpſiſſe Sancti Satyri poſſeſsionem. Adfuerunt, inſpexerunt, obmutuerunt, non habentes in ore ſuo redargutiones. Quare ſolemnes, & publicæ tabulæ, vt vocant inſtrumenta, confectæ fuerunt ad perpetuam rei memoriam, & Dei Sanctorumque eius gloriam. Quieuit ex tunc omnis diſceptatio, latuſque patuit veritati campus: cui ne quis deinceps, Ambroſianam Baſilicam, proprijs ornamentis diuitem, noſtris cupiens ſuperditare, ex vmbrati-

bratilibus cauillationibus in aduerſum tenebras offundat: glorioſi Herois clariſsimum tumulum, allatis euidentibus ratiocinationibus, teſtibus, tabulis, præiudicijs, quaſi circumaccenſis funalibus, illuſtrabo.

FAX PRIMA

Oſtendens obitum S. Satyri contigiſſe, antequàm Ambroſiana Baſilica eius eſſet idonea ſepulturæ.

SOLEMNIS fuit Antiquorum religio non humandi fidelium corpora, maximè iuſtorum, niſi in ſanctis locis, Deo dicatis, vbi diuina myſteria, preces, & laudes frequentarentur; vel in cœmeterijs apud Baſilicas, vel in ipſiſmet iuxtà memorias Martyrum; eò quod non immeritò animabus id crederent profuturum. Alium quoquè morem apud eoſdem viguiſſe, comperimus; non vtendi Baſilicis, antequàm eſſent conſecratæ, ad vllas Eccleſiaſticas functiones, ſecluſo caſu

D. Gregor. 1. Dialog.

D. Aug. lib. de cura agenda pro mort.

D. Iulianus Tolet. lib. 1. prognoſt. C. 20.

 neceſ-

In fragmentagens de Baſ. SS. Apoſt.

neceſſitatis. Teſtatur hoc Carolus à Baſilica Petri. *Antequàm dedicatæ eſſent* (ſermo eſt de Baſilicis) *non videtur in eis Synaxim habere licuiſſe; nam & hoc crimini datum legitur S. Athanaſio, quod in magna Eccleſiæ Alexandriæ, ſeu in Dominico Synaxim celebraſſet, antequàm dedicaretur. Vtrùm verò licuerit in eis Populum congregare tantùm orationis cauſa, abſque Miſſa, etiam illud videtur ex Athanaſio vetitum, neceſsitate non cogente.* Si igitur oſtenſum fuerit, Ambroſianam Baſilicam, nondum fuiſſe dedicatam, quando Diuus Satyrus migrauit è viuis, nemo ſanè hunc aſſeret in ea tumulatum ab Ambroſio; niſi qui tantùm Antiſtitem velit vtriuſque ſuperioris religioſæ conſuetudinis contemptorem; eûdemquè erga dilectiſſimi fratris exuuias minùs officioſum. Quod probrum vt à ſancto viro auertat Aduerſarius, ipſe eadem, qua nos argumentatione, ſed præpoſterè vtitur, dicēs: Sancti corpus minimè intuliſſet Am-

broſius in Ædem non conſecratam,ſed intulit in Ambroſianam; ergo ipſa iam fuerat conſecrata. Ego verò potiùs ex eo, quod nondum eſſet conſecrata, aſſero, non intuliſſe; ſaltem ad ſepeliendum. Inquirendum itaq; eſt, quò anno ſit dedicata Ambroſiana Baſilica,& quo defunctus ſit Satyrus.

De primo nullum eſt inter nos diſſidium; compertiſſima namquè res eſt omnibus, illam dedicatam fuiſſe anno octuageſimo ſeptimo (quarti ſæculi Chriſtiani deinceps ſemper intelligas) quando in eam inuecta ſunt Corpora SS. Martyrum Geruaſij, & Prothaſij. De altero quoquè in hoc conuenimus, quod mortuus ſit Satyrus eo tempore, quo ab armis Maximi Tyranni ſibi cõſternata metuebat Italia; de hoc enim nos non ſinunt ambigere ea Ambroſij verba ſuper mortuo fratre: *Si nunc vrgeri Italiam tàm propinquo hoſte cognoſceres, quantum ingemiſceres? Quantùm doleres, in Alpium vallo ſummam noſtræ ſalutis conſiſte-*

In fragmentagens de Baſ. SS. Apoſt.

neceſſitatis. Teſtatur hoc Carolus à Baſilica Petri. *Antequàm dedicatæ eſſent* (ſermo eſt de Baſilicis) *non videtur in eis Synaxim habere licuiſſe; nam & hoc crimini datum legitur S. Athanaſio, quod in magna Eccleſia Alexandriæ, ſeu in Dominico Synaxim celebraſſet, antequàm dedicaretur. Vtrùm verò licuerit in eis Populum congregare tantùm orationis cauſa, abſque Miſſa, etiam illud videtur ex Athanaſio vetitum, neceſſitate non cogente.* Si igitur oſtenſum fuerit, Ambroſianam Baſilicam, nondum fuiſſe dedicatam, quandò Diuus Satyrus migrauit è viuis, nemo ſanè hunc aſſeret in ea tumulatum ab Ambroſio; niſi qui tantùm Antiſtitem velit vtriuſque ſuperioris religioſæ conſuetudinis contemptorem; eúdemquè erga dilectiſſimi fratris exuuias minùs officioſum. Quod probrum vt à ſancto viro auertat Aduerſarius, ipſe eadem, qua nos argumentatione, ſed præpoſterè vtitur, dicẽs: Sancti corpus minimè intuliſſet Am-

broſius in Ædem non conſecratam, ſed intulit in Ambroſianam; ergo ipſa iam fuerat conſecrata. Ego verò potiùs ex eo, quod nondum eſſet conſecrata, aſſero, non intuliſſe, ſaltem ad ſepeliendum. Inquirendum itaq; eſt, quò anno ſit dedicata Ambroſiana Baſilica, & quo defunctus ſit Satyrus.

De primo nullum eſt inter nos diſſidium; compertiſſima namquè res eſt omnibus, illam dedicatam fuiſſe anno octuageſimo ſeptimo (quarti ſæculi Chriſtiani deinceps ſemper intelligas) quando in eam inuecta ſunt Corpora SS. Martyrum Geruaſij, & Prothaſij. De altero quoquè in hoc conuenimus, quod mortuus ſit Satyrus eo tempore, quo ab armis Maximi Tyranni ſibi cõſternata metuebat Italia; de hoc enim nos non ſinunt ambigere eà Ambroſij verba ſuper mortuo fratre: *Si nunc vrgeri Italiam tàm propinquo hoſte cognoſceres, quantum ingemiſceres? Quantùm doleres, in Alpium vallo ſummam noſtræ ſalutis conſiſte-*

re, lignorumq; concædibus conſtrui murum pudoris? Qua afflictione mæreres in tanto teneri diſcrimine tuos ab hoſte impuro, atque crudeli, qui nec pudicitiæ parceret, nec ſaluti? Quoniam inquam, hæc modo ferres, quæ nos perpeti, & fortaſſe, quod grauius eſt, ſpectare cogemur? Rapi virgines, & auulſos à complexu Parentum paruos liberos ſupra tela iactari; inceſtari ſacrata Deo corpora, & ſenilem viduæ maturioris vterum in vſus deſuetos onerum redire, non pignorum. Propterea & tu bene in-
Num. 19. quis: *Satyrum itaque nos fatemur, quin etiã perfractè contendimus, eo mortuum eſſe anno, quo Maximus per Alpes in Italiam venturus timebatur; quoue omnia in motu erant, motibuſque barbaricis ſuſpecta; et hoc ex ipſius Ambroſij oratione funebri luculentiſsimè conſtat.* Vnanimiter huc vſque proceſſimus.

Ab hinc verò incipimus ſeiungi ſententijs; in diuerſa vnuſquiſque ſua progreditur via. Vter noſtrum veram arripuerit, diſquirendum. Pergis tu: *Sed quia id non anno tantùm octuageſimo tertio, verùm etiam rurſus octuageſimo ſeptimo*

 (poſt-

(poſtquem poſtea Maximus Aquileiæ captus, ac die Auguſti vigeſima ſeptima necatus fuit) contigiſſe Baronius & ipſe confitetur; propterea nos, ob rationes nuper prolatas, hoc potius, quàm illo, Satyrum anno defunctum fuiſſe, contrà quàm Baronius crediderit; arbitramur.
Ego autem rationes tuas ſoluens, quæ nec Baronio, nec vlli Authori apparuerunt, patentiſſimè oſtendam, Satyrũ migraſſe anno octuageſimo tertio; ac proinde quadriennio prius, quàm Ambroſiana Baſilica eius eſſet idonea ſepulturæ. Etenim quod ais morienti fratri adfuiſſe Marcellinam; quæ non niſi anno octuageſimo ſeptimo Medio lanum conceſſit; & Ambroſium in funere Satyri Sacra peregiſſe in Ambroſiana Baſilica, quæ proinde fuiſſe conſecrata debuerat, errores ſunt non ferendi ex perperàm intellectis verbis Ambroſij; vt ſequenti face oſtendam. At quid opus erat, te fatigari, & ingenium torquere in concinnandis hiſce futilibus argumentis, dum ex eodem

Am-

Ambroſio ſignatur tẽpus fraterni obitus duabus circunſtantijs, quæ adfuerunt tantùm anno octuageſimo tertio, & defuerunt octuageſimo ſeptimo? Prima eſt ingens ſtrepitus, qui (vt tu quoquè fateris ex Ambroſio) circumſonabat de Maximi Tyranni aduentantibus ex Gallia victricibus armis; vnde valida animorum concuſſio, & cõſternatio, anxia ſollicitudo; alij præparãtes ſe in prælium laborabant in conſtruendis munitionibus ad obſiſtendũ; lignorum concędibus obijciebãt murum pudoris; alij fuga dilabebantur in longinquas, & tutiores regiones; quæ formido inceſſit Symmachum, vt audiens, Satyrum ex Africa meditari iter in Italiam, ad illum dederit literas, pro ſuo erga ipſum amore (erat enim genere propinquus) monens, ne faceret tẽpeſtate tàm turbida, & diſcriminoſa; quæ potiùs ſuaderet eos, qui in Italia eſſent, in Africam fugere. Atquì nulli rumores huiuſmodi contigerunt anno

octua-

octuageſimo ſeptimo cum Tyrannus in Italiam inopinus irrupit; quippè adeò clancûlum agitauit conſilia belli, ſimulata pace; vt apud eum agens Ambroſius, Imperatoris Legatus, ſingula obſeruans, vix aliquid huiuſmodi fuerit ſuſpicatus; reddens enim ſuæ legationis ſecundæ rationem Valentiniano ſic epiſtolam concludit: *Vale Imperator, & eſto tutior aduerſus hominem, pacis inuolucro bellum tegentem.* Sed & iſte ſuſpiciones euanuerant, poſtquàm ſubſecutus in legatione Dõninus ita deceptus eſt aſtu Maximi blandientis, honoribus, ac muneribus ipſum obruentis, vt exiſtimaret cuncta pacifica, ſponderetque Imperatori, ſe illi ſtrenuum amicũ cõciliaſſe Maximum, *qui*, ait Ripamontius, *poſteaquam videt obiecta pacis, & munerum dulcedine captum eſſe Domninum, deceptamque mentem illius hærere penitus in contemplatione tàm inſperati boni, velle ſe, ait, inſuper mittere turmas equitum ad Cæſarem, qua virium parte indigere illum ſciat; id ſtabile ad*

Epiſt. 56. ad Valent.

Barron. ad Ann. Chriſti 387. To. 4. Art. 55.

Hiſt. Eccl. Med. lib. 4. Decad. 1.

amicitiam, id fidei pignus fore. Ita ductor hoſtium Domninus, pro ſuppetijs, & pace, bellum in Italiam ad Cæſarem tulit. Tyrannus Legatum inſecutus, REPENTE ſe ſe ſuperfudit Italiæ; quem venire, & adeſſe, fama eadem tulit ingenti omnium metu. Tantum igitur abeſt, vt inuaſionem Maximi factã anno octuageſimo ſeptimo præceſſerit rumor bellicus, vt imò ipſa aula Cæſarea indormiret ſicura. Papè valde naſutus fuit Symmachus, tâm procul ſubodorans bellum, quod Domninus Legatus, in ipſa Curia hoſtis agens, & pro munere cuncta explorans, non potuit rimari. Et quidem ille commonefecit Satyrum, dicitur enim in oratione funebri: *Qui cum à viro nobili reuocareris Symmacho, tuo parente, quod ardere bello Italia diceretur; quòd in periculum tenderes: quod in hoſtem incurreres: reſpondiſti, hanc ipſam tibi cauſam eſſe veniendi, ne noſtro deeſſes periculo.* Deniquè dum literæ ad Satyrum deferuntur, dum hic deliberat, dum iter ingreditur, & tàm longã conficit

ficit viam, dum Mediolanum tenet, dũ decumbit, & moritur, quid cunctabatur Maximus? vbi erat? quid actitabat cum tanto armorum apparatu? hoccè eſt *Venire, & adeſſe fama. eadem tulit?* Si tantum temporis habuerunt ſibi conſulendi, cur Valentinianus, Iuſtina, & Probus, feſtinato arripuerunt fugam; ſi ab aperto hoſte propinquum periculum fama vulgante præſenſerant, ſi cõparauerant ſibi præſidia ad reſiſtendũ, lignorum concædibus muro pudoris conſtructo? Res verò ſic ſe habuit; quod Cęſar cum matre, & Prætorij Præfecto, exceſſerunt Italia, ſubita aduentantium hoſtiũ formidine perculſi, cum nil minùs cogitarent, eadem Dõnini Legati deceptione deluſi; de qua pariter Baronius: *Profectus ad Maximũ Domninus, capitibus legationis omnibus expoſitis, omni cum obſeruantia, comitateque exceptus eſt; nam & dignabatur eum honore Maximus eximio, & tanta munerum mole ſatiabat, vt Imperatorem Valentinianum nullum*

 huic

huic parem habiturum amicũ Domninus exiſtimaret. At poterat vſquè adeò Domninum decipere Maximus, vt etiam partem exercitus ſui cum eo mitteret, quæ Imperatori Valentiniano auxilio contra Barbaros Pannonijs imminentes eſſet. Liquet ergò, ſtrepitum armorum, quo Italia inhorruit, & quo Symmachus timuit amico, ſemel tantùm fuiſſe; videlicet ſub initijs Maximianæ Tyrannidis, cum barbarus, Gratiano interempto, adauctus copijs, velut torrens inundans incoercito impetu cuncta ſuperabat, arridente fortuna, anno octuageſimo tertio, quo eodem, fatearis neceſſe eſt, mortuum Satyrum; ſi quidem eius obitus, & rumores illi ex Ambroſio, te plaudente, ſunt noti.

Accinunt Scriptores probati, (vt auctoritatibus etiam te redarguã, nec meo marte videar placita excogitaſſe:) Triſtanus Calchus cuius tu ſæpè teſtimonio vteris, hæc duo ſimul coniugit; ſcilicet, obijſſe Satyrum, dum cõmoue-

moueretur Italia Barbarorum motuũ expectatione, dumquè Gratianus occiditur initio inſurgentis Maximianæ Tyrannidis; quæ anno octuageſimo tertio orta, propè occaſum erat anno octuageſimo ſeptimo. Ait enim: *Cæterùm inter barbarorum motuum expectationes Satyrus Ambroſij frater, ex Africa recens Mediolanum reuerſus, diem obijt, quem & fratris ipſius cauſa, & propriarum illius virtutum gratia, Ciuitas vniuerſa defleuit. Profectus autem in Pariſios vſquè Gratianus circumuenitur fraudibus à Merobaude Magiſtro militum, & retrocedere coactus Lugduni demùm deficit.* Hic profectò rem acu tetigit; quia ſi mors Satyri accidit gliſcente Maximi rumore terrifico, id fuit tantùm anno octuageſimo tertio, cum Gratianum peremit.

Triſt. Calchus Hiſt. Pat. lib. 2.

Ita Bellar. in chronol.

Ripamontium adiungo ſcribentem. *Hæc fuerunt initia belli, quæ portendère ſtatim eum finem, & eas calamitates, quæ poſteà ſunt inſecutæ. Quod niſi Reſpublica tùm Ambroſiũ habuiſſet, profectò maiora etiam damna, non*

Hiſt. Eccl. Mediol. Decad. p. lib. 3.

Eccleſiam modò Mediolanenſem, ſed vniuerſum Imperij ſtatum, afflictaſſent. Nam hoſti opportuna omnia erant: Valentiniani ætas, Iuſtinæ malus animus; diſcors aula, ſubiectorum animi quales in Republica tàm ancipiti poſſunt eſſe. His interijcitur domeſticus Ambroſij luctus AMISSO SATYRO FRATRE. Si ſub initijs belli Maximiani occubuit Satyrus, ergo non anno octuageſimo ſeptimo; ſi, quando adhuc portentis ſignificabantur Italię calamitates longinquæ, ergo non cum adfuerunt pręſentes; ſi, cum formidabili apparatu terrebat Tyrannus, ergo non quando improuiſus aduenit. Non omittam Cardinalem Baronium, quamuìs tu hunc oculatiſſimum hiſtoriæ veritatis indagatorem, & acrem diſcuſſorem paruifacias; Sed validiores rationes afferre debueras, vt nouam ſententiã tuam nullius Authoris fultam præſidio, tanti viri, aliorumq; Scriptorum authoritati præferres. Ait itaquè: *Sanctus Ambroſius, audito obitu Gratiani,*

Ad annum Chriſti 383. Artic. 14.

barbaroſq;

barbaróſq; omnes ſub Maximo militantes ad totius cladem Imperij eſſe paratos, iam iamquè in Italiam graſſaturos ab omnibus, & vbiquè timeri; apud Deum ſequeſter pacis acceſsit; inſtarquè Moyſis ſtetit in confractione in conſpectu eius, vt auerteret iram ipſius, ſe ſuaquè pro omnium ſalute deuouens. Obtinuit tandem quod enixis precibus efflagitauit; ſed diſpendio chariſsimæ rei, nempè OBITV AMANTISSIMI FRATRIS SATYRI. Pſalm. 105. Quibus verbis non ſolùm declarat; huius obitum accidiſſe paulopoſt Gratiani cædem, dum cuncta plena eſſent barbarorum formidine; quæ eſt prima circumſtantia determinans ex Ambroſio tempus fraterni interitus ad annũ octuageſimum tertium; ſed etiam tangit aliam, videlicet, quod poſt Sancti viri mortem reliquis ſalua res fuerit; ſubſiſtentibus barbaris procella quieuerit; quod ſanè non habuit annus octuageſimus ſeptimus: ſiquidem tunc illi expleuerunt furorem ſuum, & per Italiã ſunt latè graſſati.

Porrò

Porrò hæc eſt altera nota, qua ſignat Ambroſius tempus obitus Satyri, cum nimirùm licet rumores, & appatus bellici, timoreſquè eſſent ingentes, euanuerunt tamen: nec vlteriùs pro tunc progreſſi ſunt hoſtes. Etenim ſuper funus fratris gratias agit Deo, quod ſibi conceſſerit gratiam expetitam, vt conuerteretur in ſe, ſuamquè domum quidquid flagelli Diuina vltio paraſſet in Rempublicam; ipſiquè Populo gratulatur, bonoquè animo eſſe iubet, quod à metu ſoluti fuerint per mortem Satyri; in qua mala quæcunquè timebantur erant expleta. Ipſum audi: *Nihil habeo quod querar; ſed habeo in quo Deo gratias agam: quia ſemper optaui, vt ſi quæ perturbationes, vel in Eccleſiam, vel in me manerent, in me potius, ac in meam reciderent domum. Deo igitur gratias; quia in hoc omniũ metu, cùm omnia motibus ſint ſuſpecta barbariceis, communem mœrorem priuato dolore tranſegi; & in me conuerſum eſt quidquid timebamus omnes: atquè vtinam hic cõſumatum ſit* (qua-

ſi

ſi vereretur ſibi aliquid deterius: ſuperérant enim Iuſtinę infeſtationes in Eccleſiam teterrimæ) *vt dolor meus publici doloris redemptio ſit. Nihil quidem habui, fratres chariſsimi, in rebus humanis tanto fratre pretioſius, nihil amabilius, nihil carius, ſed præſtant priuatis publica*. Herclè hæc tàm aſſeueranter iactanda non erant coram omni Populo, anno octuageſimo ſeptimo: cûm ſtatim rei exitus, prorſus cõtrarius, Antiſtitem arguiſſet mendacij, ac iactantię arrogantis. Quid dixiſsẽt tot Arriani, oſores Ambroſij, facta, dictaquè eius ſemper hirquinis oculis tuentes, ore maligno carpentes? quæ oblocuti eſſent? quomodo exſibilaſsẽt, inſultaſſent? Hem Romanæ fidei Prophetas. O vaniloque hypocrita, ſiccinè ſpopondiſti incolumitatem? auerſum omne periculum? noſtra diſcrimina tuo damno redempta? Ecce nunc hoſtis in Romanum bacchatur Imperium, omnia complet funere, & luctu: planè proditor hic coniurauit cum Maximo:

ximo:

ximò: pollicitus eſt indemnitatem: quò deſides, & incauti opprimeremur ſecuriùs. At verò abſtinuit Italia Maximus: ita euenit, vt dixerat, qui Spiritu Dei plenus vaticinabatur. Nònne prophetiæ dono fuit illuſtris Ambroſius, qui multò pridem Gratiano prædixerat victoriam, quam aduerſus Gothos eſt conſecutus? qui Macedonio exitium ante multos annos, cum ſoli Deo eſſet cognitum, prænũciauit? Hoc lubet referre ipſis Baronij verbis, vt pateat, Sanctos viros non inuentum verba proferre. *Cum enim aliquando, viuente Gratiano, Ambroſius ad Prætorium Macedonij magiſtri officiorum vt pro quodam intercederet, perexiſſet; atque illius mandato fores clauſas inueniſſet, ne adeundi facultatem haberet; prophetico ſpiritu hæc de illo eſt vaticinatus: Et tu quoquè veniens ad Eccleſiam, (quam nec clauſas inuenies ianuas) non ingredieris. Quod poſteà factum eſt: cum, occiſo Gratiano, Maximo in eius Magiſtratus ſæuiente, Macedonius confugiens ad Eccleſiam, licet patentibus*

Bar. Tom. 4. ad Ann. Chriſti 378. art. 17.

Paulinus & Bar. in Vita S. Amb.

bus ianuis, aditum cum reperire non poſſet, factus eſt hoſtium præda. Aliaſquè ſexcenties cum futura prædixerit meritò à S. Ennodio Vatis inſignitur Elogio. Epiſc. Ticin.

Egit quod docuit meritis, & honore ſuperſtes
Ambroſius VATES, moribus ingenio &c.

Nil mirum igitur ſi tunc fidenter auſus ſit dicere *communem metum priuato dolore tranſegi, & in me conuerſum eſt quidquid timebamus omnes*; nimirùm, ſicut olim in lege veteri Patriarchæ, & Sancti viri, ex ſignificata ſibi diuina acceptatione ſuorũ ſacrificiorũ, intelligebant, ſe conſecutos gratias poſtulatas; ita pius Pręſul, vt vidit, inter ſua omnia Deo oblata pro publica incolumitate, chariſſimum fratrem Deo acceptum fuiſſe, nil hæſitauit, quin crederet, ſe obtinuiſſe quod expetierat. Vnde orationem ſuã exorſus eſt illis verbis: *Deduximus fratres dilectiſsimi hoſtiam meam, hoſtiam incontaminatam, hoſtiam Deo placentem, Dominũ & fratrem noſtrum Satyrum*. Benè hoſtiã; quia cum ſacrificium antiquum fuerit

triplex; aliud holocauſtum, quod gratuitò offerebatur Deo, abſquè vlla retributionis intentione, tantùm in honorem, & amorem ſupremæ bonitatis illius; aliud victima pacifica, quæ offerebatur ad impetrandam pacem, ſalutē vel aliam quamcunquè proſperitatem; tertiū videlicet hoſtia offerebatur pro delictis, ac peccatis, ſiue Sacerdotis, ſiue Populi expiandis; ideoquè appellabatur hoſtia pro peccato; hoc nomē hoſtiæ propriè decebat Satyrum; quē ſibi Deus acceperat oblatum cum cęteris ſuis ab Ambroſio, ad auertendas calamitates promeritas, imminenteſq; populo pro peccatis. Benè vtiquè dixit *hoſtiam ſuam*; quia ipſe obtulerat; ipſe amiſerat. *Hoſtiam incontaminatam*, quia purus, & innocens moribus erat. *Hoſtiam Deo placentem*, quia ſi placabatur Deus brutorum Sacrificijs, multò magis ſibi complaceret in iſto hominis iuſti: qui etiam, exemplo Chriſti, libentiſſimè mortuus fuerat, vt ſeruaret

pro-

proximos; quod cognitũ erat Ambroſio dicenti. *Ipſius quoquè ſi quis ſententiam ſciſcitaretur, mallet occidi pro alijs, quam ſibi viuere.* Quæ fiducia pacis fuit Ambroſio cauſa non detrectandi maximè arduam alioquî legationem ad Maximũ, ſibi iniunctam à Ceſare, etenim verbis loquar Baronij *Cum Tyrannus coniunctis ſibi copijs Gratiani florentiſsimo polleret exercitu, omneſquè magnoperè pertimeſcerent acturum, fore vt ad totius Italiæ cladem iuga Alpium ſuperaret, Valentinianus Auguſtus legationem pacis ad eum mittere quãtociùs feſtinauit; nulluſque ad tantam rem obeundam magis accommodatus, quàm Ambroſius viſus eſt; qui licet negotium perarduum, ac planè deſperatum eſſe ſentiret, idemq; eſſe Maximum tot auctũ copijs, tantiſquè elatum victorijs ab acceſſu Alpium, atquè ab inuaſione Italiæ continere, ac innundantis fluminis impetum coercere; nihilominus DIVINA VIRTVTE CONFISVS tantæ molis legationem ſuſcipiens, ad Maximum in Gallijs hybernantem acceſsit. Quid tandem? mentem illam elatam, ingentes*

Ad ann. Chriſti 383. To. 4. Art. 14. & in Vita S. Ambroſij.

illos animos Maximi, ſpirantes minas ac cædes; ſic illa dicendi vi, & Epiſcopali illa auctoritate, cum ſumma vitæ integritate coniuncta, repreſsit, atquè continuit; vt ad pacem oblatam ſuſcipiendam impelleret. Atquè hæc, ne ipſe Author compoſuiſſe diceretur, ſubdit vnde perceperit. *Hæc quidem omnia, & ſi non aliũde, ex paucis ſaltem eiuſdem Ambroſij verbis licet colligere, qui Iuſtinæ Auguſtæ ingratiſsimæ fœminæ petulantiam refellens (cũ illa virum Sanctiſsimum, de Imperio, dequè eius filio Valentiniano Auguſto optimè meritũ, Tyrannum etiam appellare non vereretur) hæc ait: Non hoc Maximum dicere, quod Tyrannus ego ſim Valentiniani, qui, ſe meæ legationis obiectu queritur, ad Italiam non potuiſſe tranſire.* Eadem prorſus habet, nonnihil mutatis verbis, Ripamontius vbi ſupra.

Decad. 1. lib. tertio. Felix huius prioris legationis exitus comprobauit vera fuiſſe, quæ diuino afflatus Spiritu, corde præſago, Pontifex in funebri concione prædixerat: *Communem mœrorem priuato dolore tranſegi, et in me conuerſum eſt quidquid timebamus omnes.*

nes. Delinitus namquè Maximus Sancti Legati eloquentia,& meritis,aquieuit; ceſſauit procella aduenit promiſſa pacis ſerenitas. Fuit ne iſtud anno octuageſimo ſeptimo? Minime Gentium. Quinimò hoc tempore ſequuta eſt ſecunda Ambroſij ad eundem Tyrannum legatio irrita; votis fruſtratus redijt re infecta;quamuis veterator ille hoſtiles animos diſſimularet,nulla oſtẽderet inditia belli, quod pacis inuolucro tegebat; donec ſubſequenti Legato Domnino tàm bellè impoſuit; vt mox Italiæ ſe ſe improuiſus vaſtator infuderit. Dum ergo anno octuageſimo ſeptimo, nec deinceps, non fuerũt vera, quę de redemptione publicæ cladis dixit Ambroſius, vel ipſe mentitus eſt, vel ea concio non fuit habita tunc temporis; ſed iam pridèm anno ſcilicet octuageſimo tertio ante primam feliciter adimpletam legationem.

Agè videamus modò; num etiam ex ſecunda legatione Ambroſij ad Maximum

mum habeamus argumentum, ad comprobandum, tranſitum Satyri non cõtigiſſe anno octuageſimo ſeptimo, ſed tertio. Sciendum ex Hiſtoricorum relatione concordi; quod mortuo Gratiano, qui apprimè catholicus erat, & pacificato Maximo per Ambroſij interceſſionem, tùm apud ipſum virtute legationis, tùm apud Deum mediante fratris oblatione: Iuſtina Auguſta, fœminarum ingratiſſima, vt vidit ſe ſolutam à Gratiani reuerentia, & metu Maximi, cępit filium Valentinianum adoleſcentulum peruertere, & in Sanctum Antiſtitem impoſturis varijs incitare: cupiens vniuerſum Imperium inficere Arriana pice, qua ipſa illita erat. Tũc cęperunt omnifariâm Catholici exagitari, mulctari, in Baſilicis obſideri, cogi vt eas traderent Arrianis: deniquè Ariminenſis pſeudoconcilij fidem amplecti, huiuſquè perſecutionis feruor sũmus accidit (etiam fatente Aduerſario) maiori hebdomada ſacra anni octuage-

Theod. lib. 5. cap. 14. Ruffinus lib. 2. cap. 16. Baron. ad Ann. Christi 387 ar. 35. & in vita Amb.

ſimi

ſimi ſeptimi: nec deferbuit, donec Deus ſuppetias miſerit Ambroſio Sanctorũ Martyrum Geruaſij, ac Prothaſij; quorum Corpora cęlitùs reuelata inuenit proximo Iunij menſe. Et quàmuis ingentia ederent miracula, profuerunt hæc quidem ad Catholicorum ſolatiũ, & confortationem, non tamen ideo emolliebatur impius Iuſtinæ, ac Cæſaris animus. Quid tum? Audijt geſta in Ambroſium Maximus, & opportuna viſa eſt illi occaſio rumpendi inita fędera: cum læſum grauiſſimè intelligeret ipsũ, cuius ſuaſu Italię ac Valẽtiniano pepercerat. Prętextu itaq; plauſibili vindicandæ religionis peſſundatæ, & fretus Ambroſij diuexati ſumma authoritate in plebem, conqueſtus eſt apud Cæſarem huiuſmodi literis: *Audiui enim (nam fama non patitur occultari, præſertim quod agitur in Populos) Clementia tua edictis Eccleſijs Catholicis vim illatam fuiſſe; obſideri in Baſilicis Sacerdotes, mulctam eſſe propoſitã, capitis pœnam adiectam, & legem ſanctiſsimã* Theodor. & Bar. vt ſupr.

ſub nomine cuiuſdam legis euerti. Hoc quàm graue ſit, poteris intueri, ſi Dei magnitudinem volueris cogitare. Et poſt pauca: *Venerabilis memoriæ Diuus Valentinianus Pater Clementiæ tuæ, hac fide fideliter imperauit, nihil ille attingere voluit, quod benè conſtitutum videbat. Hi certè ſub eodem, Epiſcopi iam fuerũt. Quæ tanta mutatio, vt qui anteà Sacerdotes, nunc ſacrilegi iudicentur? ijſdem certè præceptis, ijſdem ſacramentis dicati, eadem fide credunt, q̃ua antè crediderunt. An putat venerabilis mihi Serenitas tua, conceptam ſemel in animis hominum religionem, quam Deus ipſe conſtituit, poſſe conuelli?* Huiuſmodi commonitione Valentinianus veritus quod erat, ne Tyrannus occaſionem quæreret diſcedendi ab amicitia, & aucupandi ſibi Imperium, ad quod videbatur anhelare, ſtatuit placare illum eiuſdem Ambroſij officijs, cuius vlciſcendæ iniuriæ gratia commotus fuerat: & etiam quia prioris legationis fęlicitas ſatis oſtenderat; quantùm hic apud Maximum valeret. Denuò Sanctum Epiſcopum

copum miſit illûc: vt idem teſtatur in Epiſtola 56. ad Valentinianum ſcribēs. *Deniquè non commiſiſſes ſecundam legationem, niſi primam probaſſes.* In vtraquè parem fidelitatem, & conatum Sanctus adhibuit, ſed diſpar fuit euentus. In prima demulſit Tyrannum, non ſic in altera. An quia non aderat alter Satyrus ſacrificandus Deo? Sed noluit ampliûs Deus, vt in priuatam ſerui ſui domum recideret punitio, decreta ſceleribus Auguſtorum: *Quod iuſta fuiſſet iam diuina ſententia definitum, eos, qui de pellendis (vt dictum eſt) ab Eccleſijs Catholicis Sacerdotibus promulgaſſent edictum, à ſuo ipſorum fore expellendos Imperio, & paterna hæreditate priuādos.* Iam verò cedo abs te quo tempore Ambroſius ſecundam hanc, ſed inſecūdam legationem inierit? Reſpondebis ab anno certè octuageſimo ſeptimo, in cuius maiori ſacra hebdomada contigerant eiuſdē legationis origines; obſeſſio Sacerdotum in Baſilicis: mulcta mercatoribus inflicta, lex contra legem ca-

Baron. ad annum Christi. 387. Art. 45

tholicam promulgata; vnde indignatus fuerat Maximus. Rectè; ſed qua huius anni parte? Ignoras? Perquiramus. Mehercle vix inuenio, quando potuerit Ambroſius Treuiros proficiſci ad Maximum; niſi eo prorſus tempore, quo ipſum ſtatuis Mediolani ad exequias Satyri curandas xv. kal. Octobris. Conſideres velim, non profectum fuiſſe, antequàm transferret in Baſilicam Ambroſianam Corpora SS. Geruaſij, & Prothaſij xiij. kal. Quinctilis; tùm quia id temporis interſtitium requirebatur, vt perferrentur vltrò, citròquè, & delationes iniuriarum ad Maximum & huius querimoniæ ad Cæſarem: tùm quia cum nondum refrixiſſent odia, & perſecutiones, imprudentiſſimum nimiſq; abſonum fuiſſet committi legationem tanti ponderis homini palàm pro hoſte habito & oppidò offenſo. Nequè Sáctus Paſtor, frementibus adhuc lupis; ſuas deſeruiſſet oues. Sed nequè profectus eſt ſtatim poſt factam SS. Cor-

porum

porum translationem: tum quia Ambroſius in Epiſtola, qua Marcellinæ ſorori narrauit nuper geſta in Sanctorum Corporum inuentione, aliquid addidiſſet de ſibi iniuncta legatione, & ſuo inſtante diſceſſu: cuius cum nil meminerit, indicium eſt, quod adhuc de ipſa nō agebatur. Deniquè ſi iuiſſet, non poterat reuerti ad prædictam aſſertam exequiarum diem. Dato etiam tibi quidquid volueris: iſſet, & redijſſet ante Satyri mortem: inquam ego: aut ex legatione retulerat pacem, aut bellum. Si illam, non poterat in oratione funebri dolere omnia motibus eſſe ſuſpecta barbaricis &c. Si hoc: non poterat gratulari dempta eſſe pericula per mortem fratris. Ex alia verò parte: quia à die decimaſeptima Septembris vndecim tantùm menſibus fuit ſuperſtes Maximus (per te quoquè occiſus Aquileiæ vigeſima ſeptima Auguſti Anni ſubſequentis octuageſimi octaui: neceſſe fuit, per eos dies, quos tu morti Epiſtola 54.
 Satyri

Satyri aſſignas, Ambroſium in legatione verſari, ſiue in itinere, ſiue in Curia vbi moratus eſt pluribus diebus, ſiue in reditu: vt pauci illi menſes impenderentur Maximo: in recipienda alia legatione Domnini, qui & ipſe aliquã-diù apud illum fruitus eſt eius fraudulentis blanditijs: in adornando bello: ducendo exercitum per Alpes in Italiam: in populandis Placentia, Rhegio, Mutina, Claterna, Bononia: vaſtandis, ac infeſtandis alijs Italiæ locis, diuitiarum direptione, captiuitate Ciuium. Poſt hæc tranſeundum erat ei in Pannoniam cum exercitu obuiam Theodoſio vbi oportuit hoſtem opperiri: cũ eo conſerere prælium: ſuperari: recolligere turmas diſſipatas, inſtaurare bellum, in Aquileiam ſe recipere: ibiquè iterum Martem experiri aduerſum, Petauione Marcellino eius Duce confracto: deniquè obſidionem ſuſtinere: capi, & occidi. Quomodo ergo tot tantiſquè rebus conficiendis ſufficere poterat

Baron. ad ann. 381. ar. 59. & Ann. 388. ar. 61.

terat

terat minus temporis, quâm vndecim menſium? Vides ergo, vt ſint ratione diſcutienda actionum momenta; & nō pro arbitrio determinanda; dum nequiuit Ambroſius ſecunda legatione fungi multò antè, nec multò poſt, mēſem Septembris anni octuageſimi ſeptimi, ipſaquè plures dies requirebat: ſupereſt vt in ea obeunda tunc temporis eſſet Ambroſius, non autem in luctu fratris.

Tandem quia veritas vndiquè ſuffragium habet, & vni vero quodcunquè aliud verum adſtipulatur, nam veritas vna eſt: addam alias coniecturas, ex quibus veriſimillimum fiet Satyrū deceſſiſſe ante annum octuageſimum ſeptimum: quo fuit dedicata Baſilica Ambroſiana. Scio equidem ab authoritate negatiua efficax non duci argumentum; quia reticere aliquid, non eſt negare. Nihilominùs ſuppoſita clariſſima face demonſtrationum præmiſſarum, erunt mox dicenda facularū adie-

ctarum

ctarum ad inſtar. Qui fieri potuiſſet, vt Diuus Auguſtinus nil meminiſſet Satyri, ſi hic fuiſſet in viuis Mediolani, quando ipſe ibidem morabatur, Iuſtina exagitante Ambroſium, & hoc inueniente Corpora SS. Geruaſij, & Prothaſij? Mentionem quidem facit de ipſa Iuſtinæ perſecutione, deque Martyrum inuentione, de Simpliciano, Verecondo, Victorino, & alijs: ſolus Satyrus præteritur, tantus vir, Ambroſijq: germanus. Deſcribit minutiſſima, quę tunc temporis acciderunt, virtutem vſque cuiuſdam pauperis Hypodidaſcali, qui cũ fortè reperiſſet neſcio quid pecuniarum, reddidit eas domino gratuitò, oblatam retributionem contemnens: nònne magìs de Satyri morte, ac virtutibus, de luctu Ambroſij, & Ciuitatis aliquid ſuis ſcriptis conſignandũ erat?

Lib. 8. & 9. Confeſſ. c. 2.

In Verbis Apoſt. ſer. 19.

Inſuper dum idem queritur, parcè admodum ſibi licuiſſe frui colloquio Ambroſij, negotiorum mole præpediti.

diti; *Non enim quærere ab eo poteram quod volebam, ſecludentibus me ab eius aure, atquè ore cateruis negotiorum hominum; quorum infirmitatibus ſeruiebat; cum quibus quando non erat (quod perexiguum tempus erat) aut corpus reficiebat neceſſarijs ſuſtentaculis, aut lectione animum*: pauloquè inferius *Certè nulla mihi dabatur copia ſuſcitandi, quæ cupiebam de tàm Sancto oraculo tuo, pectore illius; niſi cum breuiter aliquid eſſet audiendum; Æſtus enim illi mei otioſum illum valde, cui refunderētur, requirebant; nequè vnquam inueniebant.* Cur nunquàm adijt Satyrum: qui ore, moribus, ſanctitate erat alter Ambroſius, ſicut adibat Simplicianum? Dicit enim Deo: *Et immiſiſti in mentem meam, viſumquè eſt bonum in conſpectu meo, pergere ad Simplicianum, qui mihi bonus apparebat ſeruus tuus, & lucebat in eo gratia tua.* Et certè ille præ iſto aptior erat ad introducendū illum ad Ambroſium, tanquàm domeſticus: & declarandum illi pios fratris ſenſus ſibi communes. Nunquam cōtigit Auguſtino error ille, quem multis

Confeſſ. lib. 8 cap. 1.

In obitu fratris.

tis

tis contigiſſe narrat Ambroſius præ maxima ſimilitudine: conueniendi & alloquendi alterum fratrem pro altero? ſed quomodo id fieret cum Satyrus iam pridem eſſet mortuus?

Amb. ad ſor. Ep. 14. Præthereà eodem tempore cùm fureret Iuſtina, quotquot fautores Ambroſij dignoſcebantur, peſſimè habiti sũt: vectigalia immania extorta: magna vis pecuniarum emuncta à mercatoribus: profectò frater ipſius Antiſtitis, ſi fuiſſet ſuperſtes, non abijſſet impunis: conſueuerunt enim Principes irreligioſi, ſuccenſentes in Eccleſiaſticos, animad uertere in eorum propinquos laicos, vt pro ipſis luant.

Illud quoquè veritatis aſſertæ non obſcurum eſt argumentum: quod cum Ambroſius dedit Satyrum ſepulturæ, indicauit velle ſe in eodem ſepulcro, cum ſibi mors contigiſſet, conſepeliri: non tamen conſepultus fuit, quia mutauit ſententiam, quando ſuam Baſilicam

cam conſecrauit. Statuit enim ex tūc ſibi ſepulcrum ſub Altare ad ſiniſtram SS. Martyrum Geruaſij, & Prothaſij, vbi nunc quieſcere dicitur; ergò hæc, quæ ſortita eſt effectum, fuit eius vltima voluntas, derogans primæ, ergò inuentio SS. Martyrum illorum, & dedicatio Baſilicæ, quæ facta eſt anno octuageſimo ſeptimo, fuit poſterior morte Satyri. Quid reſponſurus ſis rationi huic non video; tuis enim verbis te coarguo. Vtramquè prædictā Præſulis voluntatem, ſi non aliundè, ex te didici. Nam dum contendis, Satyrum non procul à S. Ambroſio ſepultum iacere; verba huius, quæ ad id probandum aſſumis, plûs probant, quâm tibi opus eſſet; nimirum non ſolum Ambroſium noluiſſe tumulari procul à fratre, ſed voluiſſe cum eo ius indiuiduum habere ſepulcri. Et hæc quidem verba maiuſculis characteribus ſignas, in quibus vim facias. Refers ex funebri oratione ſequentia: *Procedamus*

mus ad tumulum, ſed priùs vltimum coram Populo vale dico, pacem prædico, oſculum ſoluo. Præcede ad illam communem omnibus debitam, ſed mihi præ cæteris deſiderabilem, domum. Para hoſpiti conſortium, & quemadmodum hìc omnia nobis fuere communia, ITA ILLIC QVOQVE IVS DIVIDVVM NESCIAMVS. Poſtquæ mens tibi pruritabat inferre (ſicut inferendum erat ex proprietate verborum) Ambroſio, & Satyro idem commune decretum eſſe ſepulcrum. Sed quia hoc nimium erat, cum ambos in eadem arca nullus vnquam crediderit, nec tu ipſe iſtud intendas, quid egiſti? extorſiſti verba ad ſenſum te iuuantem. *His itaquè omnibus ſatìs indicatum videtur, Ambroſium ea item fuiſſe voluntate, vt ne poſt obitum quidem ita procul à tanto fratre abeſſe vellet, quàm procul à Baſilica Ambroſiana certè diſtat Portiana, quæ nunc Sancti Victoris ad Corpus appellatur.* Imò nihil voluit abeſſe à tanto fratre. Quis non videat illud; *Para hoſpiti conſortium*, ſignifica-

gnificare, Ambroſio tunc mentem fuiſſe participandi tumulum eundem cum Satyro? Quaſi dicat: recede, coanguſtare pauxillum, ita vt in tuo ſepulcro etiam mihi ſit locus. Heùs, ſatis nimium loci paraſſet Satyrus Ambroſio, dum illum reieciſſet procul ab ſe, quantum diſtat Altare maius Baſilicæ Ambroſianæ a Cappella, vbi ſtatutis ipſum. Locus ille ſufficiebat trecentis cadaueribus excipiendis. Dum verò in eodem ſepulcro non ponatur, parum refert ad intentionem Ambroſij, expreſſum ijs verbis, triginta nè, an trecentis paſſibus diſiungatur à fratre. Debueras igitur dicere, Ambroſium ea fuiſſe voluntate, vt cum Satyro indiuiduum haberet ſepulcrum, ſicut nunc habet (vel habere creditur) cum Sanctis Geruaſio, ac Prothaſio. Ad iſtorum ſiniſtram cur eſt appoſitus? quia ipſe (inquis ſic mandauerat: *Hunc ego locum prædeſtinaueram mihi, dignum eſt enim, vt ibi requieſcat Sacerdos, vbi offerre*

conſueuit; ſed cedo Sacris Victimis dexteram portionem. At clariora ſunt verba ſuperiora, quibus indicabat velle ſe iacere ſuper corpus fratris: *Habeo ſepulcrum, ſuper quod iaceam, & commendabiliorem Deo futurum eſſe me credam, quod ſupra Sancti corporis oſſa requieſcam*. Sicut igitur impleturi illud Ambroſij mandatum, non ſatis habuerunt ſepelire illum in eadem Eccleſia, vbi ſunt Corpora Sanctorum Geruaſij, & Prothaſij, procul multis paſſibus, ſed iuxtà attumularunt ſub eadem ara, ita ſi adimplendum fuiſſet alterum mandatum de indiuiduo ſepulcro cum fratre, de requieſcendo ſupra Sancti corpus, non ſatis arbitrati eſſent curatores funeris, ſepelire illum in alia prorſùs Baſilica, licet non longè, vt te audiemus dicentem inferiùs. Res autem ita ſe habet; quod S. Præſul aſſiduus in meditatione mortis bis diſpoſuit, & quaſi teſtamentum edidit, de loco ſepulturæ ſuæ. Primùm inter ſepeliendum Satyrum,

tyrum, calente amore, & deſiderio eius, ſimul cum illo optabat humari. Poſteà verò condita ſua Baſilica, & ornata ſacris pignoribus SS. Geruaſij, & Prothaſij, iuxtà hos ſibi ſepulturam elegit. Sed ſi Satyrus obijſſet poſt eam dedicatam Baſilicam, ditatamq; Sacris Martyribus, Ambroſius potuiſſet ſimul conſequi vtrumq; & iacere apud Martyres, & etiam apud fratrem, collocando hunc ad illorum dexteram, & reſeruando ſibi ſiniſtram. Plenior ſua fuiſſet conſolatio; maius Baſilicæ ſuæ decus; ipſiquè Satyro decentiſſimus locus. Hoc autem præſtitum non fuit, quia Satyrus dudum ſepultus fuerat honorificè apud Sanctum Martyrem in nobili alia Baſilica, vt oſtendemus; ipſe vero Ambroſius iuxtà ſuos á ſe repertos Martyres, in ſua á ſe condita Baſilica, mutata ſententia, voluit ſepelliri.

Sin autem malueris ex his duabus diſpoſitionibus de ſepultura Ambroſij illam

illam fuiſſe poſteriorem , qua volebat adiungi Satyro , (quippe hic deceſſerit poſt inuentos SS. Martyres,& dedicatam Baſilicam) hanc ego concedam ; vt potè vltimam , derogantem priori , fuiſſe executioni traditam, & Sanctum Præſulem (quod egriùs tuleris) in Portiana fuiſſe ſepultum cum Satyro ; nec deerunt alia ad id argumenta ; quibus, è re tua eſt , ſilentium imponi .

Claret igitur,Satyrum deceſſiſſe anno octuageſimo tertio , quadriennio antequàm dedicaretur Ambroſiana Baſilica , eiuſq; eſſet idonea ſepulturæ.

FAX SECVNDA.

Indicans nec Marcellinam adfuiſſe Satyro morienti, nequè huic Ambroſium in ſua Baſilica parentaſſe.

ADSVM modò tuis rationibus ſatisfacturus, propter quas à Baronij, & communi reliquorũ Hiſtoricorum deſciſcis ſententia, affirmantium, Satyrum tranſiſſe ad Cælum anno Salutis octuageſimo tertio ſupra trecenteſimum. Tu verò inquis. *Propterea nos ob rationes nuper prolatas, hoc potiùs, quàm illo Satyrum anno* (ſcilicet octuageſimo ſeptimo) *defunctum fuiſſe, contra quàm Baronius crediderit, arbitramur*. Quæ ſunt tandem iſtæ rationes adeò ſubtiles, vt eas nec Baronius, nec alius quiſpiam vide-

viderit? Puto duos eſſe errores ex malè intellecta phraſi Ambroſij, ex qua deducis: Primò, S. Marcellinam adfuiſſe Satyro morienti Mediolani, quo tamen non acceſſerit ante annũ octuageſimum ſeptimum; Secundò, Ambroſium in fratris funere ſacris fuiſſe operatum in ſua Baſilica, quæ proinde conſecrata eſſe debuerat, quod non habuit ante eundem annum.

Marcellinam igitur apud Satyrum fuiſſe, dum hic moreretur, tantum non iuras. Adeò enim tuo inſedit cordi hic error: vt vſquè ad faſtidium terquè, quaterquè hoc repetas, in hoc tripudies, tibiq; videaris triumphare, ac ſi ſolus inueniſſes hiſtoricam fabam, imò fabulam. Primò referens ea verba Ambroſij: *Et ſi Sancta ſuperſit ſoror Marcellina* de tuo interſeris *iam tunc & ipſa Mediolani degens*: Secundò ad illud eiuſdem de ſorore effatum; *Quæ duobus nuper beata germanis*, gloſſam adijcis tuam: *Quibus vtiquè Mediolani iam conueſcen-*

ueſcentibus, ipſa quoquè ſoror præſens fruebatur: Tertiò Baronium caſtigans, qui tamen (vt oſtendam) videtur melius te intellexiſſe ſermonem tùm Ambroſij, tùm Epitaphij Marcellinæ, inquis: *Fallitur in eo tamen Baronius ibidem, quod eamdem addit Romæ mortuam fuiſſe, ac voluiſſe nihilominùs vt corpus ſuum ad Vrbem Mediolanenſem transferretùr.* Quartò deniquè ſubdis; *Ex quo enim tempore Mediolanum illa venerat, nunquam poſtea Romam reuertit; iam verò venerat antequam Satyrus ex hac vita migraret.*

At verò ais; ita perhibent Boninus Mombritius, aliaq, manuſcripta perantiqua de Marcellinæ vita: *Interea cum piæ recordationis almificum Præſulem Ambroſium ſuſcepti Epiſcopatus cauſa in præfata Vrbe Mediolani compuliſſet; fratremq; dilectum Satyrum luce ipſa chariorem ſecum amoris glutinio detentum cohabitare feciſſet; Virgo Domini Marcellina chariſsimis diutiùs auelli uon paſſa germanis, domo, patria, rebuſq; relictis ſe ſe Mediolanum contulit; ſatiùs rata*

ta peregrinam cum illis ducere vitam, quàm duobus priuata luminibus Romanas opes miſerabilis poſsidere. Et ex eodem Authore poſt memoratum obitum Satyri hæc habentur. *Conſtat autem, hunc ex illo venerandæ Virgini morem fuiſſe, vt continuè ſupra tumulum fratris Satyri genu nixa Dominatori omnium ſanctam eius animam precibus aſsiduis commendaret. Perſæpè etiam diem ſine cibo, noctemquè inſomnem tranſigens, loco ſepulcri vix ad momentum poterat auelli.* Demùm poſt Ambroſij quoquè interitum; *Tunc deinde duplicatus mæror, renouata triſtitia, nihilq; aliud, præterquam mori, anxiæ nimiùm ſorori placebat. Quid faceret? Quo ſe verteret? nunc ad illum, nunc ad hunc prouoluta tumulum hæſitabat.* Habes ne aliud quod proferas? etiam habeo, dicis, luculentiſſima ipſius Ambroſij teſtimonia, vnde prediƈta eruit Mombritius; nempe dixit ille in oratione funebri ſuper mortuo fratre: *Certè felicior, quàm Sancta ſoror; quæ tuo ſolatio deſtituta, de ſuo pudore ſollicita, duobus nuper beata germanis,*

nunc

nunc ex duobus fratribus ærumnoſa, nequè alium ſequi poteſt, nequè alterum derelinquere; cui tumulus hoſpitium tuus, & corporis tui ſepulcrum eſt domus; atq; vtinam vel hoc tutum diuerſorium cibus in fletibus, potus in lachrymis &c. & verſus finem: *De Sancta verò ſorore quid fiet? quæ licet diuino metu pietatem temperet; rurſus tamen ipſum pietatis dolorem ſtudio religionis accendit: Strata humi, & totum gremio ſui complexa tumulum, laborioſo feſſa inceſſu, triſtis affectu, dies noctesq; mærore integrat &c.* Igitur argumentaris: Si Marcellina remanſerat Satyro decedente, ex duobus ærumnoſa germanis, quia nec defunctum poterat ſequi, nec ſuperſtitem Ambroſium derelinquere, patet, quod apud ipſum degebat Mediolani. Si tumulus Satyri erat ei pro hoſpitio, & corporis fraterni ſepulcrum pro domo, ſi ſtrata humi totum gremio ſui cōplectebatur tumulum vtiquè præſens aderat in loco ſepulcri, perdia & pernox in luctu.

Dixiſtin? reſtat ne aliud? Nihil, aïs,

& quid clarius petitur? Nebulas tenuiſſimas obieciſti, neutiquam meæ facis ſplendorem obnubilantes, ipſaſq; leuiter exſufflabo. Et primò quò ad Mombritium dico: Scriptoribus probatis Legendarum Sanctorum eſſe adhibendam fidem in ſubſtantialibus hiſtoriæ, cæterum negligendas multas circumſtantias, quas ipſi appingunt de ſuo, ductas ex veriſimili, aut abſquè graui trutinatione ab alijs acceptas. Et certè ipſe Mombritius tibi nequit probari, quatenùs dicit, translato Ambroſio ad Archiepiſcopatũ Mediolanenſem, & ſecum aſſumpto Satyro, Virginẽ Marcellinam non diutiùs paſſam à germanis auelli ſed mox ipſos ſecutam fuiſſe, quandoquidem tibi non placet (nec placere veritas patitur) illam petijſſe Mediolanum ante inuentionem Corporum SS. Geruaſij, & Prothaſij, de qua ad abſentem Ambroſius dedit literas anno octuageſimo ſeptimo, nempe poſt decem, &

am-

ampliùs exactos annos in Epiſcopatu: quod mehercle eſt diutiùs ab eius Ordinatione. Sicut ergo in hoc dicturus es, illum fuiſſe hallucinatum; ita ego idipſum poſſem contendere de reliquo eius aſſerto. Sed libenter dederim tibi, Mombritium, Hilarionem, & horum magiſtrum antiquius manuſcriptum, á quo acceperunt, fuiſſe in hac ſententia, quod Marcellina non abfuerit Mediolano Satyro migrante. Quid tandem? Bonus Bonius cæcutiens lapſus eſt, nunquid te ſibi adhærentem in foueam ſecum trahere oportuit ex perperàm intellectis Ambroſij verbis?

Fatendum eſt, Sancti Doctoris phraſim identidem eſſe ſuboſcuram (quod magnis ingenijs profunda ſenſa voluentibus frequentiſſimum eſt) & non raro indigere face prudentis ratiocinationis ad genuinum ſenſum aſſequendum. Accedamus igitur ad declaranda Ambroſij verba. Ait ille de Marcellina, *duobus nuper beata germanis, nunc*

ex

ex duobus fratribus ærumnoſa , nequè alterum ſequi poteſt , nequè alterum derelinquere: Non ſpecificat vter fratrum ſit, quem Virgo ſequi non poſſit, & quem nequeat derelinquere: hoc noſtro iudicio permittitur declarandum . Tu intelligis Satyrum defunctum , eſſe illum , quem non datur ſequi: Ambroſium verò ſuperſtitem eſſe alterum, quem non poteſt derelinquere : ac proinde apud illum maneret Mediolani. Sed vide quot paraſangis aberres. Marcellina eſt hinc inde pariter ærumnoſa, tàm ex fratre, quem non poteſt ſequi, quàm ex altero, quem non poteſt relinquere : eſſet ne ęrumna remanere illi ex duobus fratrem viuum, cui adhæreret? Imò hoc eſſet ſolatium , ærumnarum leuamen, & dimidatio . Non erat vndequâquè miſera, ſi amiſerat vnum Satyrum : ſaltem ſupererat Ambroſius : cuius contubernio , & adiutorio licebat frui. Ergo vt conſtet, qualiter ea virgo ex duobus fratribus eſſet pariter ærumnoſa,

decla-

declarato ſic: Ambroſium viuum Mediolani degentem ipſa non poterat ſequi, *in cætu Sacrarum Virginum Romæ Deo dicata*, vt ait Ripamontius; & hæc ærūna erat: diceret enim, ſupereſt mihi quidem alter frater Ambroſius: ſed quid iuuat, dum illum ſequi non datur, eiuſquè frui propinquitate? Satyrum autem mortuum à corde ſuo nequibat auellere, ſicut de ſe ipſo Ambroſius conſimilia fatur fratri defuncto in eadem oratione *non enim perdidi vſum tui, ſed commutaui; ante corpore inſeparabilis nunc indiuiduus affectu; manes enim mecum, ac ſemper manebis*. Eo modo quo manebât Satyrus cum fratre, eodem manebat cum ſorore, nec poterat relinqui; ſcilicet triſti recordatione, ex qua nil minùs erat ærumnoſa, quam ex abſentia alterius fratris, quem non poterat ſequi. Niſi velis tàm inuiſum ſorori fuiſſe Ambroſium, vt infortunium eſſet, eum non poſſe relinquere. Non poterat ab hac ærumna liberari remigran-

Hiſt. Eccl. Mediol. Decad. 1. lib. 3.

do

do Romam ad ſuas Virgines? qua catena, quibus vinculis colligata erat? Ambroſius, Ambroſius ipſe eſt, qui Marcellinæ ingeminabat ærumnas, dũ ipſum ſequi huic non permittebatur à ſuſcepto per Liberium ſacro velamine. Quia licet non eſſet ex Virginibus addictis perpetuæ ſtrictiori clauſuræ in Monaſterio, nihilominûs etiam illis Sãctimonialibus, quę domi ſuæ apud Parentes, aut propinquos cum ſociabus alijs Virginibus degebant, rara erat in publicum procedendi facultas. Vide Gebalinum de Clauſura, vbi nominatim ait huius generis fuiſſe Sanctam Marcellinam.

Proh, quantus eſt Ambroſius in recordando Virginibus domiſtitio. Exẽplo Sanctiſſimæ Diuinæ Matris; *Diſcite*, inquit, *Virgines non circumcurſare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miſcere ſermones*; hæc eſt eius cantilena intercalaris, Virginum receſſus, abſconſio, tumulatio; ſciebat enim

Lib. 1. in Lucam.

Lib. 2. in Lucam.

tene-

teneram eſſe Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris. Et fortè húc alludit appoſita illa metaphora; inferius explicanda; ſignificans, Satyrum, cum eſſet mortuus; quia ſemper cum Marcellina aderat pia recordatione, eſſe pariter cum ea in hoſpitio, domoq; tumulatum. *cui tumulus hoſpitium tuus, & corporis tui ſepulcrum eſt domus*. Quomodo ergo Sancti Præſulis ſoror, ſpeculum aliarum Virginum, & Magiſtra, contemneret præcipuũ hoc virginale præceptum; & circumuagaretur, ne dum per Vrbem, & plateas, ſed per regiones militibus plenas, tempore præſertim, quo inter cętera timebatur; *inceſtari Deo ſacrata corpora?* & certè illa erat, *de ſuo pudore ſollicita*, vixquè domi habebatur ſecura; *atquè vtinam hoc tutum diuerſorium*. Planè huiuſmodi pudoris zelus, & Sanctimoniale inſtitutum detinuit Romæ iugiter Marcellinam, dũ vixit, ne Mediolanum pergeret ad fratres; quamuis id maximè percuperet.

At ſaltē mortua voluit conſequi, quod nequiuerat viuens, mandans in vltima voluntate, ſuum trāsferri cadauer Mediolanum ibiquè apud fratres tumulari. Tu quoquè non aliter cenſuiſſes, ſi rectè pēſitaſſes eius Epitaphium, quod à Sancto ſucceſſore Ambroſij Simpliciano compoſitum ex Alciato producis huiuſmodi.

Marcellina tuos cum vita reſolueret artus
Spreuiſti patrijs corpus ſociare ſepulcris,
Dum pia fraterni ſperas conſortia ſomni,
Sanctorumq; cupis ſacra requieſcere terra.
Nil longinqua domus caſto decerpſit Amori
Affectus nec morte perit: Nam munere lethi
Rurſus iuncta ſoror fraterna redderis vmbra;
Quamuis magna pio ſuſpiret Roma dolore,
Tertia quod ſacri patitur iam damna ſepulcri
Nec tamen anguſtam ſedem quis dixerit aulæ
Corporis hæc domus eſt, nā te pia Virgo ſupremum

Accipit

Accipit Imperium placida poſt munera mortis,
Æternæ Chriſtus pretium tibi deſtinat aulæ.
Præmia dans caſtis intacta matris honorē:
Te medius Indi tranſcendit feruide curſus
Et te Virgo tuus tranſuexit ad Ætera ſponſus.

Vellem abs te doceri, quid ſibi velint verba illa; *tuos cum vita reſolueret artus, nil longinqua domus caſto decerpſit Amori?* Aut ego alius ſum, nec latina intelligo; aut ſibi volunt, quod deſpectio patrij ſepulcri, & electio fraterni apud exteros facta eſt à Marcellina, dum moreretur in longinqua domo. Ergo nō eſt mortua Mediolani. Pergamus: Quid ſibi volunt ſequentia; *Nam munere lethi, rurſus iuncta ſoror fraternæ redderis vmbræ?* Sanè nil aliud dicunt, quàm beneficio mortis conſecuta es vicinitatem fratrum pariter defunctorum, qua fueras prohibita, dum viueres. Clariſſimus eſt ſenſus, nec video obſcuritatē vllam in ijs verbis. Immeritò ergo à te

vapulat Baronius; quia ſcripſerit ex Epitaphio à te recitato ac probato, Marcellinam Romæ defunctam, tranſlatam ſuo iuſſu ad ſepulcrum Mediolanenſe. Aut ergo reijcere debueras Epitaphium; aut hoc probato, & intellecto, non poteras cum Baronio nō ſentire.

Non fuit ſoror Sancti Pręſulis Mediolani. Scilicet deerat hæc etiam ad explendam rabiem Iuſtinæ; dum fureret in Ambroſianos. Væ miſellæ, ſi apud hoſtes tàm ſæuos reperta fuiſſet. Adde quod Sancta Monica ob ſollicitudinem, quam gerebat de Auguſtini filij conuerſione, venerabatur Ambroſium ſumma reuerentia; ideóquè propterèmorem geſſit illi, ſtatim ac ab oſtiario Eccleſiæ audiuit prohibitum á Sancto Epiſcopo inferri cibos, & vinum ad offerendum Sāctis Martyribus: quēadmodum ipſa conſueuerat. Id quod cęteroquiñ ægrè tuliſſet: vt ipſe Auguſtinus teſtatur: *Sed tamen videtur mi-*

Confeſ. lib. 6. cap. 2.

hi

hi Domine Deus, & ita eſt in conſpectu tuo de hac re cor meum, non facilè fortaſſe de hac amputanda conſuetudine matrem meam fuiſſe ceſſuram, ſi ab alio prohiberetur, quem non ſicut Ambroſium diligebat: quem propter ſalutem meam maximè diligebat: eam verò ille, propter eius religioſiſſimam conuerſationem, qua in bonis operibus tàm feruens ſpiritu frequentabat Eccleſiam: ita vt ſæpè erumperet, cum me videret, in eius prædicationem, gratulans mihi quòd talem matrem haberem. Ex quo valdè mirum fuerit Monicam eodem intuitu ſalutis filij non dilexiſſe Marcellinam ſororem Ambroſij, tàm Sanctã, ſi Mediolani extitiſſet, ipſiuſquè amicitiæ haud ſtuduiſſe copulari: vicequè verſa Auguſtinum Ambroſio nuſquã rependiſſe pro laudibus matris ſuæ, laudes ſororis illius, ſicut illaudatũ nõ prçterijt Sanctum Epiſcopum. Sed de Marcellina, ſicuti de Satyro apud Auguſtinum eſt altum ſilentium, nempe alter iam deceſſerat, altera abſens erat Romæ. Meminiſſe etiam debes vo-
torum,

torum, quæ nuncupauit Marcellina pro felici trãſitu fratris Satyri ex Africa, Diuo Laurentio, vtiquè Romæ ad ipſius ſepulcrum in agro Verano, de quibus in oratione funebri: *Tuis enim votis apud Sanctum Laurentium impetratum eſſe nunc cognoſcimus commeatum; atquè vtinam non ſolum commeatum, ſed etiam prolixum vitæ tempus rogaſſes. Potuiſti annos plurimos impetrare viuendi, qua potuiſti commeatum impetrare veniendi.* Igitur ſi Sancta ſoror erat Romæ exorãs Diuum Laurentium, dum frater aduentaret ex Africa, etiam ibidem dicenda eſt fuiſſe, dum idem moreretur Mediolani, quãdoquidem á ſuo aduentu paucis vixit diebus. Sequitur enim qui ſupra Orator Sanctus, *Ita enim maturè poſtquam venit ereptus eſt, quaſi propter hoc ſolum videretur eſſe dilatus, vt ad fratres rediret.* Credibile porrò eſt, quod è littoribus Siculis appulerit ad Oſtia Tiberina, inuiſurus Romæ ſororem dilectam, priuſquâm ad Ambroſium tranſiret Medio-

diolanum. Aſt audio te inclamantē, quod Sancta Virgo Mediolanum acceſſerit prorſus ijs paucis diebus, quibus poſt reditum ſuperuixit Satyrus. Scribis enim: *Quoniam verò eodem anno* (ſcilicet octuageſimo ſeptimo) *Marcellina Mediolani tunc non aderat, quando recenter inuentis Sanctorum Prothaſij, & Geruaſij corporibus Baſilicæ iſtius Ambroſianæ dedicatio peracta fuit vndeuigeſimo Menſis Iunij die: idcircò nos eamdem poſtmodum ab Vrbe Roma hùc perueniſſe cenſemus, tàm tempeſtiuè, vt ægrotanti Satyro, ac decimaſeptima ſubſequentis Septembris die mortuo affuerit.* Vnde hoc habes? ex te metipſo: *Cenſemus*, ais. Non ego te te crediderim huiuſmodi itineri commiſurum, feruente æſtu Iulij, & Auguſti. Egregiam charitatem, Roma abducere Virginē delicatam ijs diebus, quibus inde abſcedere fermè lethale eſt. Et Symmachus propinquus, qui tantoperè ſollicitus fuerat pro incolumitate Satyri, auertendo illum ſuis literis à tranſitu in Italiam

liam ob bellorum diſcrimina; propter eadem, & inſuper inclementiam tempeſtatis non detinuit Marcellinam?

Sed vrgeamus validiora. Vnde colligis tu Sanctimonialem abfuiſſe Mediolano, cum inuenirentur Corpora Sanctorum Geruaſij & Prothaſij? Hoc perſpicuè patet, inquis, quia paulò poſt *Marcellinæ ſorori tunc in Vrbe commoranti totius facti ſeriem deſcripſit Epiſt.* 54. Nihil enim fuiſſet, quod ad eam ſcriberet, ſi extitiſſet præſens. Optimè: nunquam melius loquutus es. Literis porrò commonefacimus abſentes, non verò præſentes: Ergo ob eandem rationem Marcellina abfuit Mediolano, quando hinc poſt mortem Maximi, quę accidit anno octuageſimo octauo, idem Ambroſius ad eamdẽ dedit Epiſtolam, qua recenſet quæcunquè egiſſet apud Theodoſium, tùm Aquileiæ, tùm Mediolani, in cauſa Epiſcopi cuiuſdam orientalis, qui mulctatus fuerat ad reædificandam ſuis ſumptibus

Syna-

Synagogam, quam queſti fuerãt Iudęi eius iuſſu incenſam, nec non decretum, vt in Monachos animaduerteretur. Verba Epiſtolæ ſunt: *Sollicitam Sanctitatem tuam eſſe adhuc, ſcribere dignata es mihi, eò quod ſollicitum me eſſe ſcripſerim.* (Nota frequẽs literarum aliarum commercium) *Vnde miror, quod literas non acceperis meas, quibus refuſam mihi ſcripſeram ſecuritatem. Nam cùm relatum eſſet Imperatori Synagogam Iudæorum in partibus Orientis incenſam à Chriſtianis, authore Epiſcopo, & Valentinianorum lucum; iuſsum erat, me Aquileiæ, vt Synagoga ab Epiſcopo readificaretur, et in Monachos vindicaretur, qui incendiſsent lucum: Tùm ego, cum ſæpius agendo parùm proficerem, Epiſtolam dedi Imperatori, quam ſimul miſi, & vbi proceſsit ad Eccleſiam hunc ſermonem habui.* Quem ſermonem pariter ad ſororem mittebat, & in eo, cum loquatur de Maximi ruina propter cõſimilem reatum vindicandi in Chriſtianos in gratiam Iudæorum, liquet, geſta ea, ſcriptaquè fuiſſe non ante annum

Paulinus in Vita Ambr. Bar. ad ann. 388. art 92. Epiſt. 18. ad ſororem.

 octua-

octuageſimum octauum. Cum itaquè inter Epiſtolas Ambroſij legamus duas ad ſororem; alteram, qua narrat inuentionem Sanctorum Corporum Geruaſij, ac Prothaſij anno octuageſimo ſeptimo, alteram qua recenſet negotium Synagogæ incenſæ anno octuageſimo octauo, cur ex priori concludis, Marcellinam abfuiſſe Mediolano, & non eruis id ipſum ex ſecunda? Cur effutis; *Ex quo enim tempore Mediolanum illa venerat, nunquam poſteà Romam reuertit: iam verò venerat antequam Satyrus ex hac vita migraret?* Cur adeò præceps cucurriſti ad caſtigandum Baronium, eo quod benè ſcripſerit, Marcellinam Romę in Sanctimonialium cætu degentem, non niſi defunctam fuiſſe illatam Mediolanum? Deniquè aſſurge authoritati ipſius Ambroſij, & herbam porrige. Is namquè in prædicta concione funebri cum de ſorore loqueretur: *Et ſi Sancta ſuperſit ſoror Marcellina &c.* Subdenſquè communem ſibi cum ea ſollecitudinē

pro

pro incolumitate germani ſubnectit: *Quando non cohorruit animus cum metus huiuſmodi titillaret? Quomodo conſternata mens erat ægritudinis tuæ nuncio?* nuncius defertur ad abſentes, abſens non erat Ambroſius, ergo Marcellina. Piget rem adeò manifeſtã pluribus proſequi.

Sed plurimum tibi faceſſunt negotij illa Ambroſij verba: *Cui tumulus hoſpitiũ tuus, & corporis tui ſepulcrum eſt domus: ſtrata humi, & totum gremio ſui complexa tumulum, laborioſo feſſa inceſſu, triſtis affectu, dies noctesque mœrore integrat.* Nonnè hæc, ais meridie ſunt clariora? Nonnè prætendũt, quod Sacra Virgo ita iugis moraretur ad tumulum Satyri; vt is conuerſus eſſet illi in hoſpitium, in domum? quæ gremio complectebatur ipſum tumulum, poterat eſſe abſens? Interpretabor ego, ſi libeat audire. Quotiès ſẽſus verborum grammaticalis rebus deprehenditur non conuenire, ſciendum eſt, tropicè ea eſſe dicta, & per Rheto-

ricas ſeu etiam Poeticas figuras. Sic ſe habet in caſu noſtro. Verba, in quorum declaratione verſamur, continent amphibologiam: ita poſſum exponere ego, quod hoſpitium, & domus Marcellinæ ſit pro tumulo, ac ſepulcro ipſi Satyro; ſicut exponis tu ex aduerſo; quòd tumulus, ac ſepulcrum Satyri ſit pro domo Marcellinæ. Illa erit verior expoſitio, quæ minus difficultatis inuoluat, & magìs accommodabilis fuerit rei geſtæ. At expoſitio tua, quod tumulus, ac ſepulcrum fratris euaſerit hoſpitium, & domus ſorori, propter aſſiduitatem manendi ibi, non poteſt ſuſtineri; tùm quia obſtant tot argumenta euidentia ſuperiùs allata pro abſentia piæ illius fęminæ à Mediolano; tùm quia pro tempore quo dicebantur ea verba, eiuſmodi ſenſus nequit verificari cum re ipſa. Erat ne adhuc in tumulo Satyrus? minimè. Sub oculis lachrymātibus Oratoris Ambroſij iacebat; dum per apoſtrophem diceret:

Qualem

Qualem te nunc ego, frater, aſpicio, iam nulla mihi verba referentem &c. & in fine orationis tandem auditores inuitat ſepulcrum versûs; *licèt ipſa ſpecies, & exanimis corporis forma ſoletur, oculoſquè manens gratia, & permanens figura demulceat, nil inquã moror: procedamus ad tumulum*. Et Marcellina quid agebat ad ſepulcrum vacuum, tot dies noctesquè mœrore integrans, ſi Satyrus eo die, vel pridie obierat, cum recitaretur oratio, nec dum humatus erat. Videñ quâm incongrue in eadem oratione perhibeatur illa conſtituiſſe ſibi hoſpitium, & domum ad fratris tumulum præ iugi mora ibidem? Igitur cum ea locutio quouis modo accipiatur non poſſit eſſe propria, & neceſſariò intelligenda ſit figuratè, ſenſus germanus, & concordans cum Marcellinæ abſentia, tot tantiſquè argumentis probata, erit: vt intelligatur per Proſopopæiã, & Hypotypoſim dictum, inducendo perſonam abſentem tanquàm preſentem, &

actiones

actiones fictas repræſentando pro vt fierent, ſi faciendæ eſſent; & hoc ad mouendos commiſerationis affectus. Quarè erit ſenſus, quod totum Marcellina ſit complexa tumulum gremio interiori, ideſt viſceribus, ac præcordijs; non brachijs, & ſinu exteriori, nã quomodo hoc fieri poterat etiam ſi in loco ſepulturæ fuiſſet? Et quæ per Sanctimoniale propoſitũ mortua erat mundo, cõſepulta cum Chriſto in Religione, hoſpitium & domum habebat ſibi pro tumulo, ſecum etiam contumulatum per iugem recordationẽ habitura erat Satyrum; ſicut de ſeipſo dicit Ambroſius eidem mortuo fratri: *Manes enim mecum, ac ſemper manebis*. Par enim erat amborum ſuperſtitum amor erga defunctum germanum.

Alter error, quo vteris pro argumẽto, ad ſtatuendam mortem Satyri in anno octuageſimo ſeptimo, eſt quia nõ ante hunc fuit conſecrata Ambroſiana Baſilica; in quam tibi conſtat ſacrum

illud

illud cadauer illatum fuiſſe, priuſquam daretur tumulo, & ibidem S. Ambroſium pro anima fratris ſacris fuiſſe operatum. Hoc ſecundum à te metipſo dicis, nullo præeunte Authore: *Cumq; tandem peroraſſet; Miſſæ pariter ſacrificium pro defuncto fratre celebrauit, antequam eum tumulo daret.* Et paucis interiectis confirmas: *Sic igitur peracto itidem Miſſæ Sacrificio Satyrum Ambroſius tumulauit.* Primum autem in Mombritium refundis authorem, & eius deſcriptorem Hilarionem Monachum in vita S. Satyri dicentes: *Translato deniquè ad cœleſte Regnũ Sanctiſsimo Satyro, Magnificus Pontifex Sacroſanctum corpus ipſius ad Baſilicam Ambroſianam honorificè deportari fecit, proſequentibus innumeris exequiarum turmis: quod tamẽ ipſe lachrymarum riuulis irroratum in altera longè Baſilica ad læuam glorioſi Martyris proprijs manibus tumulauit.* Cum autem nõ liceret exequias celebrare, ſicut nec alias Eccleſiaſticas functiones peragere, in Baſilicis antequam forent conſe-

I. cratæ

cratæ vtiquè (ais) Ambroſiana erat huiuſmodi; dum ex prædictis Authoribus in ea fuerunt Satyro funeralia peracta.

Poſſem requirere à Mombritio ferè decem ſæculis poſteriore his geſtis, an ea, quæ narrat, viderit, ab alijs acceperit, vel ſuaptè imaginatus fuerit. Primum non poteſt reſpondere; poſtremum non facit fidem; medium ſupereſt, vt dicat à quo acceperit, & cuius ille ſit authoritatis. Etenim dum non proferatur teſtis oculatus, qui rebus interfuerit aut ſaltem tantæ antiquitatis, vt teſtetur de auditu ab alijs, qui interfuerint, liberum manebit etiam mihi credere, quòd tantus Heros, qualis erat Satyrus, & meritis proprijs, & fraternitate Antiſtitis, delatus ſit rectà ad funeralia perſoluenda in eadem Eccleſiâ, in qua tumulandus erat, quæ par erat vt eſſet perhonorifica, maximè autem Cathedralis Portiana, vt videbimus infra.

Ni-

Nihilominùs quia non ſum adeò inops rationibus certis, vt opus habeã argumẽtari cauillis, & quiſquilias colligere, recipio Mombritium; non excipio contra eius teſtimonium. Quid tandem ille aſſerit? Ambroſium celebraſſe Miſſam in ſua Baſilica? Abſit. vllam Eccleſiaſticam functionem tunc fuiſſe in ea celebratam, ex qua deduci poſſit, fuiſſe conſecratam? Nil minùs. Tantùm ſcribit, ad eam Baſilicam ab Ambroſio deductum Satyri cadauer; ibiquè lachrymis irroratum; nempè luctum ſuper eo factum; lamentationes editas, deniquè funebrẽm orationem recitatam. Et ad hæc requirebatur locus Deo conſecratus? Imò is non erat opportunus. Hinc pro me aduerſùs te eſt argumentum. Siquidẽ, ſi Ambroſius intulit in Ambroſianam Ædem corpus Satyri antequam deduceret ad locum ſepulturæ (quod non do, nec prohibeo) hoc demùm fecit, quia acturus aliquid non Eccleſiaſti-

cum, ſed prophanum, & ciuile obſequium, quale erat lugere, & concionari de ſua iactura, & laudibus mortui hominis, quem Eccleſia adhuc non venerabatur pro Sancto, indignum cenſuit ad id officij abuti loco Sacro, cuius apud primitiuos fideles maxima fuit reuerentia. Ideoquè in Baſilica nondum conſecrata indulſit mętori, & lachrymis, ſeculare officium perſoluit priùs, poſteà ad locum Sacrum tranſiens Eccleſiaſticas functiones peregit, corpuſq; tradidit ſepulturæ. Et ſanè ipſe Ambroſius, tactus Syntheresi, confeſſus eſt in oratione illa, ſe aliquatenus peccare, licet veniabiliter, excuſans ſe apud Auditores de ſcandalo. *Date veniam fratres chariſsimi, neque enim omnes poſſumus dicere, imitatores mei eſtote, ſicut ego Chriſti:* Videbatur ſibi aliquid committere, non imitandum ſuis ouibus. *Non grauem lachrymis contraximus culpam*; Sed hac qualicunquè culpa nolẽs prophanare locum Sacrum, antequàm ad hunc

hunc veniret celebraturus exequias, ſubſtitit cum feretro, & comitatu in ſua Baſilica adhuc prophana, ibiq; ſermonem funebrem habuit, lachrymis indulſit, ciuile obſequium fratri perſoluit. Cęterùm quid opus erat diuidere hoc officium, orationem habere in vno loco, ſepulturam dare in alio? cur non ſepeliuit, vbi orauit, aut non orauit, vbi ſepeliuit? Sed diſtinxit officia, quia ad ſepulturam neceſſarius erat locus ſacer, indecens concioni, & fletibus.

Recedam ab hac fide, ſi oſtenderis, Sanctum Antiſtitem tunc ſacra celebraſſe in ſua Baſilica. Atqui non oſtẽdis. Gratis tantùm dicis & repetis. Magnus ſis, & facilè euinces quodcũquè ſi ſtet pro ratione voluntas. Nunquàm tanta conſtantia hoc affirmaueris, quin ego maiori pernegem, fretus rationibus hactenus allatis pro Satyri obitu in ãno octuageſimo tertio, quod eſt quadriennio ante conſecratam Am-

broſianam. Quomodo non probo, ais, quod Ambroſius celebrauerit ante cadauer fratris in ſua Baſilica? Do textũ ipſum Ambroſij in calce orationis: *Tibi nunc omnipotens Deus innoxiam commendo Animam, tibi hoſtiam meam offero, cape propitius ac ſerenus fraternum munus, ſacrificium Sacerdotis.* Et quale eſt aliud Sacrificium Sacerdotis, niſi celebrare miſſam? Ergo tunc celebrauit Ambroſius. Minime verò: Sapiens Orator ita concluſit orationem ſuam, ſicut inceperat. Recurre ad ſermonis initiũ, & videbis, de qua hoſtia loquatur: *Deduximus*, dixerat, *fratres dilectiſsimi hoſtiã meam, hoſtiam incontaminatam, hoſtiam Deo placentem, Dominum, & fratrem meum Satyrum.* De hoc eodem vt reſponderẽt vltima primis, concludit exorans Omnipotentem, vt ſerenus, & gratus talẽ hoſtiam accipiat. Iterumquè ſe declarat *Cape propitius fraternum munus*, non hoſtiam farinaceam conſecrandam, & tranſubſtantiandam; nequè enim erat

ad

ad Altare,ſed in exedra loco inepto ad offertorium Miſſæ. Et quod ait *Sacrificium Sacerdotis* intellige ex ſubſequentibus: *Hæc mei iam liba præmitto. In hoc ad te pignore venio; non pecuniæ, ſed vitæ pignore. Ne me diutiùs reſidere facias tanti fœnoris debitorem.* His indicat, ſeipſum Sacerdotem quodammodò etiam cum fraterno munere ſacrificari, & in oblationem Deo tranſmitti: *In hoc ad te pignore venio* propter indiuiduum fratris affectum; & præ amaritudine, quam libẽter ſuſtinebat, benè poterat dicere, ſe offerre Sacrificium Deo, eo modo, quò generaliter D. Auguſtinus decimo de Ciuit. ait, quamcunquè mortificationem proDeo ſuſceptam eſſe Sacrificiũ. Et Pſaltes *Sacrificium*, inquit, *Deo ſpiritus contribulatus.* Aliâs quid fraterno muneri, cum ſacrificio Euchariſtiæ, vt cõiungeret, *tibi hoſtiam meam offero, cape propitius, ac ſerenus fraternum munus, ſacrificiũ Sacerdotis; hæc mei liba præmitto?* Quæ libatio Ambroſij in Sacrificio Corporis Chriſti?

Chriſti? Deniquè deſcendens è ſuggeſtu Orator inuitauit Auditores ad tumulum, illò rectá proceſſit. *Nil, inquã, moror, procedamus ad tumulum.* Non dixit, ſtate, moramini, offeramus Sacrificium Miſſę pro Anima defuncti, ſicut tu comminiſceris, ſubdens relatæ vltimæ clauſulæ concionis. *Sic igitur peracto itidem Miſſæ Sacrificio Satyrum Ambroſius tumulauit.*

Ratum itaquè firmumquè manet, Satyrum interijſſe anno trecenteſimo octuageſimo tertio, ante trienniò quã Ambroſiana Baſilica eius eſſet idonea ſepulturæ; nec non rationes in contrarium non ſubſiſtere, quia nec Marcellina adfuit morienti, nec Ambroſius in ſua Baſilica in funere celebrauit.

FAX TERTIA.

Qua elucet, S. Satyrum non fuiſſe humatum in Sacello ſui nominis apud Ambroſianam, nequè illud fuiſſe Baſilicam Fauſtæ.

EXpulſus de Ambroſiana Baſilica à facibus precedentibus cedis hunc liberum cãpum. Iam non contendis in ipſa corpus Satyri collocare; nimis enim perſpicuum factum eſt, non fuiſſe ibi tumulatum. Ad interiora confugis, ac te recipis in quoddam Sacellum eiuſdem Baſilicæ Diuo Satyro dicatum, quod aſſeris ipſa Baſilica antiquius. Hic ſtatuis eius reliquias; quaſi iſtud non eſſet eiuſdem Baſilicæ mem-

Chriſti? Deniquè deſcendens è ſuggeſtu Orator inuitauit Auditores ad tumulum, illò rectá proceſſit. *Nil, inquã, moror, procedamus ad tumulum*. Non dixit, ſtate, moramini, offeramus Sacrificium Miſſę pro Anima defuncti, ſicut tu comminiſceris, ſubdens relatæ vltimæ clauſulæ concionis. *Sic igitur peracto itidem Miſſæ Sacrificio Satyrum Ambroſius tumulauit*.

Ratum itaquè firmumquè manet, Satyrum interijſſe anno trecenteſimo octuageſimo tertio, ante trienniò quã Ambroſiana Baſilica eius eſſet idonea ſepulturæ; nec non rationes in contrarium non ſubſiſtere, quia nec Marcellina adfuit morienti, nec Ambroſius in ſua Baſilica in funere celebrauit.

FAX

FAX TERTIA.

Qua elucet, S. Satyrum non fuiſſe humatum in Sacello ſui nominis apud Ambroſianam, nequè illud fuiſſe Baſilicam Fauſtæ.

EXpulſus de Ambroſiana Baſilica à facibus precedentibus cedis hunc liberum cāpum. Iam non contendis in ipſa corpus Satyri collocare; nimis enim perſpicuum factum eſt, non fuiſſe ibi tumulatum. Ad interiora confugis, ac te recipis in quoddam Sacellum eiuſdem Baſilicæ Diuo Satyro dicatum, quod aſſeris ipſa Baſilica antiquius. Hic ſtatuis eius reliquias; quaſi iſtud non eſſet eiuſdem Baſilicæ mem-

brum;

brum; & huc te inſequor præſenti face, ac in maiores coactum anguſtias vel inde abigam, vel certè veritatis fulgore te eum non ſuſtinentem exagitabo.

Ne verò Lector, præſertim exterus (nam Conciues, & Indigenæ optimè norunt dicenda, poſſuntque pro libito inuiſere) imaginetur, ſermonem eſſe de nobili aliqua Baſilica, Ambroſianæ propinqua; ſciendum hanc eſſe vnam ex eiuſdem Ambroſianæ Cappellis, licet paululûm extrâ ordinem, & ſeiunctam à primaria, (in qua Monachi aſſeruant Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum) non plûs quàm per intermedium tranſitum longitudinis vlnarum quindecim, qui á Monaſterio ad Sacrariũ ducit, inter duo clathra ferrea, quorum ſuperius claudit ipſum Sacellum S. Satyri, inferius verò pro limite eſt Sacello Maiori, in quo veneramur Sanctiſſimum Sacramentũ. Longitudo autẽ Satyrianæ illius Ædiculæ

culæ non excedit duodecim; latitudo verò octo, vlnas; quarum quatuor cõſtituunt ferè vnam Romanam decempedam. Tantula Cappella, ipſaq; adeò Ambroſianæ coniuncta, reputata fuit ſemper huius membrum; quippè nullum alium niſi per eã habet acceſſum. Ab Ara Maxima Baſilicæ (poſt excurſam dextri periſtylij partem, quæ ſupereſt) nõ ſeiungitur niſi alia intermedia Cappella, quæ nunc pro Sacrario inſeruit, & ab alia Cappella principali Monachorum diuiditur tãtùm per ſupradictum tranſitum, duobus ferreis cancellis incluſum. Igitur quicunquè Authores egerunt de hoc S. Satyri Sacello, ipſum prorſus confuderunt cum Ambroſiana Baſilica, tanquàm partẽ incluſam toto. Paulus Morigia de ipſa Baſilica ſcribit. *Adſunt quoquè Corpora Sanctorum Caſti & Polimij, quæ condita ſunt in Cappella S. Satyri ex parte RR. Monachorum.* Ripamontius, & ſi aliquatenùs recenſeat pro Sacello diſtincto, conſiderans ipſum abſquè addito no- In Sanctuar. Mediolani.

nò tranſitu, per quem reliquæ Ambroſianæ coniungitur, nuncupauit tamen Sacellum exornans Baſilicam, ſcribẽs *Tota demum circumiecta planities, & campus vniuerſus illuſtria monumenta præfert antiquitatis; & habet minora paſsim ſacella, quæ Baſilicam velut ſtipant, & cingunt. Ad Orientem Solem non longè ab Decumana porta cernitur Archangeli Michaelis Ædes, frequens olim Ambroſio; poſteà cetui Sacrarum Virginum attributa. In Meridiem eſt Ædicula Virginis Deiparæ, quam fabam gracam vulgus appellat; ſed vetus inſcriptio indictum id ex ægrorum tutela cognomen docet; inde periti fauentem ægris Mariam nuncupauere.* Et paucis interiectis: *Inde per Monaſterij clauſtra modico diuerticulo ad læuam occurrit Ædes ipſa Diui Satyri.* Ipſi quoquè Authores ab Aduerſario citati, qui (ignorantes rationem ſepulturę huius Sancti, illuſtrandam ſequentibus facibus) ſcripſerunt illum ſepultum eſſe in huiuſmodi Sacello, aiunt: *Iacet ad S. Ambroſium.* Ita Gualuaneus Flãma in manuſcripto de Cor-

Decad. 1. Hiſt. Eccleſ. Mediol. lib. 5.

poribus

poribus Sanctorũ, exiſtentibus in Ciuitate Mediolanẽſi; Calendariũ Ambroſianũ Anni octuageſimi primi ſupra milleſimũ & treceнteſimum; Libellus item Italicus de Indulgentijs; Corporibuſquè Sanctorum extantibus in Vrbe, ac Diœceſi Mediolanenſi, editus anno quintodecimo ſuperioris ſæculi. Quid plura? Cum Ambroſiana Baſilica decorata ſit priuilegio Indulgentiarum, conceſſarum orantibus ad ſeptẽ ſtatuta Altaria, inter ea vnum recenſetur iſtud Sancti Satyri: Quis audiuit vnquam ad huiuſmodi priuilegiũ ſeptem Altarium, quod frequentiſſimum eſt tota Italia in præcipuis templis, aſſumi aliquod altare alterius propinquæ Eccleſiæ, ſi omnia vnam indulgẽtiam integrant; vnique corpori conceduntur vnius Templi? Epiſcopus Nouarienſis, loquens de Ambroſiana. *Sunt*, inquit, *in hac Æde plura Altaria, magnis Indulgentijs decorata*, quæ recenſens ponit ſeptimo loco hoc, S. Satyro dicatum.

Io. Fran. à Baſil. Petri in libello quorumdã Eccl. Mediolani.

catum. Deniquè non eſt qui pro Sacello, & membro Ambroſianæ ipſum non agnoſcat. Si qui verò comperiãtur, qui vocent Eccleſiam (& hi perpauci erunt) abuſiuè loquuntur; ſicut quoduis aliud eiuſdem Baſilicæ Sacellum appellatur Eccleſia, in quadam ſententia à te recitata; fol. 569. ſuper

Num. 336. controuerſia inter Canonicos, & Monachos de oblationibus; ibi: *In Eccleſia S. Bartholomæi, & S. Georgij, & S. Satyri, quia Cappellæ, Monaſterij ſunt, totæ illæ oblationes in integrum vſquè in perpetuum Monaſterij ſint.* Quis verò ſanæ mentis, propriè loquendo, intra vnam Eccleſiam conſtituat tot Eccleſias, quot inſunt Cappellæ? Tu verò ex iſta S. Satyri Cappella facis nedum Eccleſiam ſed inſuper Baſilicam, ab Ambroſiana diuerſam. In hanc ex illa dicis delatum ad ſepeliendum Satyrum à fratre Ambroſio, poſtquàm ibi orationem habuiſſet, & Miſſam celebraſſet. Sed dato quod, ob frequentiam concionis, &

loci anguſtiam, hic nō potuiſſet haberi oratio; cur ſaltem non debuit ſacrificium offerri ibidem in Eccleſia, vbi defunctus erat tumulandus?

Imò veriùs, quæ neceſſitas, quæ cōgruentia potuit adducere Sanctū Antiſtitem, vt delatum iam cadauer fratris in magnam Ambroſianam, per te trimeſtre anteá conſecratam, Sanctiſquè Corporibus Geruaſij, & Prothaſij ornatam, inde efferret condendum in hoc gurguſtiolum? Quid preſtantius inerat huic, præ illa? Vtiquè gemmā ſibi precioſiſſimam, de qua dixerat: *Nihil quidem habui fratres chariſsimi in rebus humanis tanto fratre pretioſius, nihil amabilius, nihil charius*; reponere debuerat in loco honorificentiſſimo, amabiliſſimo; qualis erat Baſilica princeps, Portiana Cathedralis, vel ipſa recens conſecrata, ſuo nomine nuncupata, & propter Sancta Corpora ſibi reuelata illuc trāslata, ſibi tantoperè dilecta, vt propriū ibi deſtinauerit Corpus ſepeliendum.

Quod

Quod ſi dixeris, præſtitiſſe, dum in eiuſdem Baſilicæ Cappella humauit, tibi contradicis, quia per te hæc erat alia prorſus Baſilica, in qua noluit detineri prædicta Sanctorum Martyrum Corpora, ſed illata ad modicum tempus tranſtulit in aliam, nempè Ambroſianam;

Et certè ipſa Legenda Satyri à te adducta ex Mombritio, Hilarione, & Manuſcripto antiquo ſic habet: *Translato denique ad Cæleſte regnum Sanctiſsimo Satyro, Magnificus Pontifex Sacroſanctum ipſius corpus ad Baſilicam Ambroſianam honorificè deportari fecit, proſequētibus innumeris exequiarum turmis. Quod tamen ipſe lachrymarum riuulis irroratum in altera longè Baſilica ad læuam glorioſi Martyris, proprijs manibus tumulauit.* Nullum horum cōuenit huic tuæ Cappellæ; nam ipſa non poteſt dici Baſilica, nec longè ab Ambroſiana, neque ornata Martyris alicuius corpore, ad cuius læuam ſit ſepultus Satyrus.

Primò, nemo cordatus hoc Sacellũ dixerit Eccleſiam; ſiquidem vix cernitur ibi vnum Altare; Eccleſia verò eſt per Sacros Canones illa, quæ præter Aram, & locum pro Populo, aſtante Sacris, continet etiam ſeparatam ſtationem Clericorum, vel Monachorũ pſallentium. Vbi Odæum iſthic in triulnari Ædicula? quantò minùs meretur Baſilicæ vocabulum? Non enim quęcunquè Eccleſiæ, ſed inſigniores dumtaxat hãc ſortiuntur nomenclaturam; videlicet in quibus celebriori miniſtrorum frequentia, pro dignitate Diuina officia accuratiùs, & magnificentiùs perſoluuntur. Sic appellantur in Vrbe Eccleſiæ Maiores, ipſumq; Ethimon docet nominis, ex Græco ducti: quod ſonat Regiam à Baſileos, quod eſt Rex. Hoc nomine Sacræ literæ inſigniunt magnificam porticum á Salomone cõſtructam ante Templum: quia planè regia erat. Id quod notat á Baſilica Petri in fragmentis. *Quale ædificium*

C. ſi quis de vita & honeſtat. Clericor.

2. Paralip. cap. 4. & 6.

cium Baſilica eſſet, norunt, qui latinam linguam norunt. Ita Templa Chriſtianorum primò appellata, ob ſimilitudinem quandam ædificij, & vſus publici. At, quæ regalis magnificentia, quæ ſimilitudo ad aulas regias, quæ capacitas in vſum publicum iſtius tuæ triobolaris baſiliculæ? Quis, te dempto, hactenùs nõ erubuit iſtiuſmodi Cappellam, ſeu Oratorium vocare Baſilicam?

Secundò: eſſet Baſilica, vtcumquè lubet. Sanè ea non ſtat longè ab Ambroſiana, vt perhibent à te relati Mombritius, Hilarion, & Manuſcriptum. At hîc excogitaſti effugium. Euolutis Bibliothecis ſcrutatus es exemplaria, & nactus es manuſcripta, nobis non viſa, tibi ſoli cognita; quæ pro verbis illis. *In altera longè Baſilica*, negatione ſuperaddita habent: *In altera non longè Baſilica*. Iam hîc triumphas, hæc legitima lectio eſt, alia ſpuria: quia eſſe manuſcriptum arguit accuratiorem textum. Proh hominis libertatem in ſcri-

bendo

bendo quæcunquè libuerit. Si manuſcriptum inuētum eſſet Authographū, non malè diceres;ſed deſcripta á librarijs exemplaria ab exemplaribus quis negauerit vitijs magis ſcatere; totieſq; menda irrepere, quotiès exemplaria multiplicantur? Lege quid de Auguſtino affirmat Bellarminus. *Ex libris, quos Auguſtinus pro ſuis agnoſcit in retractationibus, nemo iure dubitare poteſt; niſi fortè de libro annotationum in Iob. Ipſe enim Auguſtinus dicit, eum librum ita ſe deprauatum inueniſſe vitio librariorum, vt vix audeat pro ſuo illum agnoſcere.* Eadem querimonia frequens eſt etiam Hieronymo, multiſquè alijs Recentioribus, qui eo adducti ſunt, vt prælo traderent ſuos libros á ſe caſtigatos, ne infamarentur Authores propter mendoſa, & deformata, quæ circumferebantur, manuſcripta exemplaria. Vel igitur Legenda illa de S. Satyro, tradita eſt typis ab ipſo authore; & ſic emendatior erit editio, quæ proſtat per calcographiā,

De Script. Eccl. ab anno 300. vſque ad 400.

& habet; *in altera longè Baſilica*; vel alij imprimendam curarunt, & ipſi quoquè, qui hoc ſibi onus aſſumunt, ſtudent habendis exemplaribus quàm maximè emendatis; plura colligunt; ſimul conferunt; rationi, & ſenſibus conſentanea penſitant; corrigunt vbi opus ſit. Nam pluris refert prodire è prelo tot exemplaria mendis infecta deinceps inemendabilibus, quàm de calamo vnius Scriptoris ſingulare manuſcriptum exire.

Sed quid conaris ſuber mergere? Veritas nunquàm non de inueriſimili emergit. Sto tuis manuſcriptis fidelioribus. Nunquid ſi dicatur *in altera non longè Baſilica*, id congruit Sacello S. Satyri, exiſtenti nunc intra ipſam Ambroſianam,& olim ſemper illi conterminò? Minimè. Dicere *non longè* eſt dicere aliquam diſtantiam, licet non magnam; non autem eſt dicere identitatem, & cohęrentiam locorum. Nequè enim diceres cubiculum, vel hor-

hortus contiguus, non longè eſt à mea domo, ſed intrà, vel apud ipſam domum. Benè autem Baſilica Portiana dici poteſt reſpectu Ambroſianæ manere longè, quia aliquatenùs ab eà diſtat; eademq; non longè, quia non nimiùm diſtat. Quod ſi Scriptoribus Vitæ S. Victoris licuit his verbis *NON LONGE* ſignificare diſtantiam inter Portianam, & locum martyrij illius ſancti, quæ vix quatuor paſſibus minor eſt eâ, quæ intercedit inter eandem & Ambroſianam, cur non potuit Mombritius tuus emendatus per illud *NON LONGE* ſignificare Portianam? Ecce Legenda S. Victoris *Quod corpus Sanctum linteaminibus inuoluentes perduxerunt NON LONGE ab ipſa ſylua, & ſepultus eſt in pace*. Item Nouarienſis Epiſcopus in vita S. Materni. *Maternus ſacrum Corpus ablatum NON LONGE ab eo loco poſuit, feris interim ſecedentibus, & ſacri funeris finem expectantibus. Syluam hanc fuiſſe exiſtimant, vbi eſt parua Eccleſia*

Surius 8. Maij & manuſcripta. Carol. a Baſ. Petri & Ripamontius.

S. Victoris, & Cænobium fratrum, qui ſeueriorem Sancti Franciſci diſciplinam ſequuntur. Eius verò Corpus NON LONGE conditum, vbi adhuc manet, in ea, quæ fuit Baſilica Portiana, poſtea Sancti Victoris ad Corpus ex eo appellata. Imò dum Baſilica Portiana legitur abeſſe NON LONGE à Baſilica Sanctorum Naboris, & Felicis, hodie Franciſcana, quæ vlterior eſt Ambroſiana, multò magis ab hac, quæ intermediat, poteſt dici manere NON LONGE. Audias eundẽ Epiſcopum in vita Sancti Caſtritiani: *Is iam acceptam à Caio Philippi domum, ad eiuſdem hortos ſitam, fidelium Synaxi celebrãdæ dicauit, atque eorum numero in dies augeſcente, varijs (ſiquidem etiam miraculis ad veritatis cognitionem diuina miſericordia mortales excitabat; alias quoque duas domos NON LONGE ab ea poſitas eidem vſui ſedulus Pontifex deſtinauit. Illa quidem Baſilica omnium Sanctorum, & poſtea SS. Felicis & Naboris fuit; reliquæ duæ à duobus Philippi filijs Portio, & Fauſto, vna Portiana, altera Fau-*

ſti

ſti dictæ traduntur. Requiris ne alium? Ecce Calchum: *Inter Caij diſcipulos*, is ſcribit, *egregius habebatur Caſtritianus. Hunc eligunt communi conſenſu Clerus, & Populus; qui ſtatim domum Philippi hortis imminentẽ* (hanc nequaquam dicit NON LONGE quia adſtabat hortis, ſicut Sacellũ Sancti Satyri adſtat Ambroſianæ) *à Caio ſibi traditam ſacrauit; ac primum orandi templum fecit. Nec ita multò poſt aucto Chriſtianorum numero, duas alias Ædes; illi PROPINQVAS conſecrauit*, quarum altera eſt Portiana. Multòq; magìs poteſt dici propinqua Ambroſianæ interpoſitæ inter ipſam, & Baſilicam SS. Naboris, & Felicis. Petis adhuc tertium Authorem? Adeſt Io. Baptiſta Villa de Ambroſiana fatus, licet Italicè: *Deniquè Baſilicam hanc ego apprimè venerandam cenſeo, etiam propter hoc, quia condita reperitur in regione Ciuitatis feliciſsima, circũſepta locis Sanctis ac venerabilibus. Primò ferè contra Oſtium maius Eccleſiæ, eſt Ædicula Diuo Michaeli dicata, ibiquè Monaſterium* Virgi-

Hiſt. Pat. lib. 1.

De ſeptem Eccl. Med.

Virginum Ciſtercienſium. Antiqua eſt huiuſmodi Eccleſia, gaudet Indulgentia, frequentabatur à Diuo Ambroſio, propterea eſt in magna veneratione, vbi adſunt plures Reliquiæ Sanctorum. PARVM LONGE deinde (ſed vltra foſſam) repetitur Portiana. Itaquè Portianæ conuenit optimè dictum Mombritij, quod ſit Baſilica NON LONGE poſita ab Ambroſiana, quemadmodum loquuntur de ipſa reliqui ſcriptores. Non ſic autem proferri rectè poteſt ea locutio de Cappella S. Satyri. Et ineptè dixiſſet Mombritius eius Sancti Corpus fuiſſe ab Ambroſiana delactum in aliam, ſiue longè, ſiue non longè Baſilicam, intelligendo de vna ex Ædiculis eiuſdem Eccleſiæ Ambroſianæ. Altera quoquè lectio LONGE pariter conuenit Portianæ, quod vltrò fateris. Non enim ſunt contradictoria *longè, & non longè*, quia per relationem ad diuerſos terminos accipiuntur ſecundum Logicos. Qui dixerint, Portianam longè diſta-

diſtare ab Ambroſiana; verum dicent comparatiuè ad propinquiorem Baſilicam SS. Naboris, & Felicis, ad aliam S. Vitalis, & ad tuam Cappellam Satyrianam, quæ coniuncta eſt Ambroſianæ. Alij quoquè verum dicunt, qui aſſerunt Portianam non longè ab Ambroſiana diſtare; ita enim eſt reſpectu Euſtorgianæ aut S. Simpliciani Baſilicarum remotarum. Nec aliter puto ipſe tu reſponderes mihi precunctanti in Ambroſiana; Vbi eſt Portiana? Hinc non procul eam inuenies ad huius viæ medium. Sin autem adderem; putabam illam eſſe, quæ iſthic proximior cernitur; nequaquam, reſponderes, ſed adhuc longè eſt. Secûs verò dum ſciſcitarer, quàm procul ſit Ædicula S. Satyri; Ecce ipſam, reſponderes indigitans illam, hic adeſt.

Cum Dominus noſter in Euangelio pronunciaſſet de Ioanne Baptiſta, *Ipſe eſt Elias*; idem verò Ioannes interrogatus à Phariſæis reſponderit, *Non*

ſum

ſum Elias videbantur hæc contradictoria; quorum alterutrum ſolummodò poteſt eſſe verum; ac proinde, aut Saluatorem, aut Ioannem fuiſſe mẽtitum.

Homil. 7. in Euang.

Sed nodum ſoluit Magnus Gregorius; oſtendens, quomodo vtrumquè verũ ſit iuxtà diuerſos ſenſus: *Quid eſt hoc fratres chariſſimi, quia quod veritas affirmat, hoc Propheta veritatis negat? Valde namquè inter ſe diuerſa ſunt: Ipſe eſt, & non ſum: Quomodo ergo Propheta veritatis eſt, ſi eiuſdem veritatis ſermonibus concors non eſt? Sed ſi ſubtiliter veritas ipſa requiratur, hoc quod inter ſe contrarium ſonat, quomodo contrarium non ſit inuenitur.* Et rationem ſubdit: *Ioannes igitur in Spiritu Elias erat, in perſona non erat; quod ergo Dominus fatetur de Spiritu, hoc Ioannes denegat de perſona.* Pari ratione tùm editio Mombritij impreſſa, tùm manuſcripta (ſi modò huiuſmodi reperitur) accipe vtramuis, ſiue dicentem LONGE, ſiue NON LONGE, conuenitur propriè Portianæ; non autem Cappellæ S. Satyri in

Am-

Ambroſiana ; & ſicut fateris , quod ij Scriptores *per illud LONGE certè Portianam indigitabant*, indigitant eamdem nihiloſceciûs per illud tuum NON LONGE . Sed accipe domeſticum , ſcilicet è Monachiſmò exemplum . Sanctus Pontifex Gregorius Magnus lib.2. Dialog. enarrans Sanctiſſimi Patriarchæ Benedicti geſta, refert ſororem eius Scholaſticam Sanctimonialem ; ſemel in anno ad eum venire ; Virumq; Dei ad ipſam NON LONGE extra ianuam in poſſeſſionem Monaſterij de rebus cęleſtibus locuturũ ; deſcendere , conſueuiſſe . Miraculum quoddam in eo congreſſu aliquando accidit. Id in cauſa fuit, vt notaretur locus. Dicunt Caſinates fuiſſe,vel vbi nunc eſt Oratorium, quod Albanetæ appellatur circa medium Caſſini Montis ; vel ad ipſius Montis calcem,vbi ſpecus viſitur, de Scholaſticæ nomine nuncupatum . Illud eſt compertiſſimum, vbi vis acciderit, locum , magis

diſtare à Monaſterio, quam diſtet ab Ambroſiana Sancti Victoris Baſilica. Nam cum per lõgum à ſummitate ſpatium Mons, in cuius vertice ſitum eſt Monaſterium, ob frigoris aſperitatem infrugifer ſit; Monaſterij poſſeſſio, ager ſcilicet cultus & fertilis, non poteſt ab eo non diſtare, & tamen vtitur hoc loquendi modo NON LONGE Sanctus Dialogiſta. Sic Romanum Martyrologium Kalendis Aprilis, memorato Theodoræ clariſſimi Martyris Hermetis germanæ agone, ſubdit ſepultam via Salaria NON LONGE ab Vrbe, & tamen conſtat, nõ niſi poſt aliquod paſſuum millia ab Vrbe, eius ſepulcrum extitiſſe. Mombritius verò, ſcripſiſſe potiùs LONGE vt ſe à Baſilicis Philippi, & Fauſtæ elongaret, quam NON LONGE, aliud inditiũ præbet, dum de ſepultura Marcellinæ Ambroſij, & Satyri ſororis, loquitur. *Corpus eius à Venerabili Antiſtite Simpliciano reconditum, & fratris tumulo ſororis tumulus*

M est

eſt appoſitus. Si enim NON LONGE ſepultus eſt Satyrus ab Ambroſiana, ſuo ſcilicet in Sacello; Marcellina poterat dici appoſita fratrum tumulis. Eſſet enim eius ſepulcrum medium inter duos fratres: licet qua parte Satyrũ reſpiceret, aliquantò plus (non tamen niſi paſſibus circiter decem) ab eo diſtaret, quàm ab Ambroſio.

Tertiò demùm poſtrema particula Mombritij: *Ad læuam glorioſi Martyris proprijs manibus tumulauit*; nuſquâm minûs accommodari poſſet, quâm in Sacello hoc tuo Satyriano. Ecquis Martyrum iacet ibi ſepultus aſſociando Satyro? Ex tot Scriptoribus, qui deſcripſerunt noſtræ Vrbis Sanctuaria, & diligenter conquiſita narrauerũt ſepulcra Sanctorum, quæ Mediolanenſem Eccleſiam decorant, ſingula in quibus Tẽplis habeantur, dum recolunt, nullus, quod viderim in hoc Sacello ponit Martyrem. Et licet nonnulli appellẽt Martyres Sanctos Caſtum, & Poli-

mium, qui dicũtur ibidem condi, præterquamquod potius Confeſſores sũt, hi non erant mortui antè Ambroſium: multòquè minus ante Satyrum. Oportet ergò dicas ad cuius Martyris læuã in eo Sacello ſepultus ſit Satyrus. Dicis, & præſtò habes Victorem Maurũ (quandoquidem hic vnus dicẽdus erat cui aliâs certum erit in ſequentibus illũ fuiſſe aſſociatum in tumulo) atquè in tui protectionem commenti furacem facis Ambroſium, & impoſtorem doloſum, qui ſacrum Corpus á Portiana clanculûm eò tranſtulerit, alio ſuppoſitò, vt imponeret Arianis. Sed audiemus te de hoc iterum. Interim vitioſo circulo reddis pro ratione quod ibi ſepultus ſit Satyrus, quia ibidem eſt Victor Martyr: & rursûs, quod hic eo loci iaceat, quia iacet ille. Ex incerto incertum, ex ignoto ignotum, ex falſo falſiſſimũ colligis. Nox nocti indicat ſciẽtiam, & quantis in tenebris palpes, faces illuſtrabunt ſubſequentes.

Sed

Sed nequè id facile, admiſerim, eiuſmodi Cappellam extitiſſe tempore obitus Satyri, fuiſſequè antiquiorem Ambroſiana; imò dixerim huic additam decurſu temporis, veluti appendicem. Quà enim loci anguſtia vrgebatur Ambroſius vt locaret ſuam nouam Baſilicam adeò hærentem iam exędificatæ Eccleſiole? Sanè pauculæ illæ Eccleſiæ, quæ tunc aderant Mediolani, ſubnaſcentis Chriſtianæ Religionis initio, certos ſuos habent fundatores, iſthæc á quo fuerat condita? In hoc diſtrictu hortorum Philippi non niſi tres á Caſtritiano conſtructas reperio: Primam SS. Naboris, & Felicis in domo ipſius Philippi, duas reliquias Portianam, & Fauſtam in domibus filiorum eius, Portij & Fauſti, vt mox audiemus ex Epiſcopo Nouarięſi, & Calcho, nō diſſentientibus Scriptoribus reliquis.

At inquis, hæc eſt prorsùs ex tribus commemoratis vna, videlicet Fauſta:

quæ

quæ deinde, recepto ſacro Victoris Corpore appellata eſt Sancti Victoris ad Cœlum aureum, ex eius Sancti imagine muſiuo opere expreſſa, quæ adhuc cernitur auro micans in fornice. Demùm tranſijt ad Sancti Satyri nomenclaturam, non ſine cauſa, ſed quia gaudet huius corpore. Rem confixiſti egregiè. Verumtamen ſi decidendum ſit votis, causâ cades: nullum enim pro te inuenio Scriptorem. Tu hic alter Eſau. Manus tua contra omnes, & omnium contra te. Pueri, lippi, tonſores, ne dum Scriptores, clamant aduerſum te, Fauſtam fuiſſe illam, quæ poſtea dicta eſt S. Vitalis: ſtetitq; donec ſuperiori ſæculo prouidus, Sanctuſquè Carolus Borromæus iuſtis de cauſis demolitam, in vſus prophanos redegit, à noſtris maioribus viſam qui narrauerunt nobis, & erat quidem propè Ambroſianam, non tamen illi inhærens ſicut Sacellum Satyri.

Ioannes Franciſcus Beſutius in ſua Hiſto-

Hiſtoria Pontificali ait: *Creuit adeò fide-lium numerus, vt idcirco hic Sanctus Epiſcopus condiderit tunc duas alias Eccleſias ex domibus dono acceptis à filijs ſupradictis Philippi denominans etiam ab eorum nomine alteram Fauſtinianam à Fauſto, quæ poſtea dicata fuit glorioſis Martyribus Vitali & Agricolæ, ob ipſorum Sacras Reliquias huc translatas.* In Vita S. Caſtrit.

Carolus á Baſilica Petri in vita S. Caſtritiani ſcribit, *Fauſti Baſilica, poſteà S. Vitalis, quæ inter Baſilicam Franciſcanam, & Ambroſianam poſita eſt.* Item in lib. de ſeptem Eccleſijs habet: *Notæ ſunt Baſilicæ à filijs Philippi ædificatæ pro quibus tanta egit Diuus Ambroſius aduersus Chriſti hoſtes, Portiana, inquam & Fauſta, hodie S. Victoris, & Sancti Vitalis.* Nec non in Vita S. Caroli repetit. *Erat inter commemoratam Baſilicam, quæ nunc eſt S. Franciſci, & Ambroſianam, alia S. Vitalis nomine dicata, quæ Fauſti Baſilica fuiſſe putatur; de qua etiã apud S. Ambroſium mentio eſt; ab ea titulum Paroeciæ Carolus cum amouiſſet, mox etiam ei perſuaſum eſt, vt eam Monachis Ambroſianis cõcederet.* In Proemio.

Io-

Ioſeph Ripamontius: *Portius & Fauſtus,* inquit, *imitata parentum proles, vltrò in ſua tecta Pontificem induxere, & eò ſtatim ille diuinas religiones induxit, Ædeſq; Portianam vnam alteram Fauſtinianam appellauit. Id gratia datum, ac pietati, vt ſic largitores duorum fratrum animos futuri homines noſcitarent. Et manſere perdiù templorum appellationes, donec potiora Sanctorum nomina, Victor illi, Vitalis huic inceſſère.*

Decad 1. lib. 1.

Paulus Morigia in libro de Mediolanenſi Noblitate, loquens de duobus natis Philippi Fauſto, & Portio, paternæ hæredibus Sanctitatis, *Primus,* ait, *ædificari fecit Eccleſiam vocatam Fauſtinam, dictam S. Vitalis.*

Lib. 1. cap. 2.

Ioannes Petrus Gluſſianus in Vita S. Caroli ſcribit: *Atq; ad excitandam in populo quoquè maiorem pietatem, opportunum cenſuit in hac Iubilæi occaſione transferre corpus S. Monæ Archiepiſcopi Mediolanenſis, quod quieſcebat in Eccleſia Sancti Vitalis alias dicta Fauſtiniana.*

Lib. 3. cap. 3.

Triſtanus Calchus, qui erat in viuis

uis anno ſexageſimo ſupra milleſimũ quadringenteſimum, affirmat, Neruā Imperante, Caſtritianum conſecraſſe Portianam, & Fauſtinianam, quæ poſtea tranſijt ad appellationem. S. Vitalis. Hiſt. Patriæ lib. 1.

Donatus Boſſius, qui floruit octuageſimo ãno ſæculi quintidecimi in ſuo Chronico ad annum nonageſimũ ait: *Fauſtus, & Portius fratres fecerunt duo Templa videlicet S. Vitalem, & Sanctum victorẽ ad Corpus.*

Gaulaneus Flamma ſuperioribus antiquior, qui ſcribebat anno trigeſimo ſupra milleſimum & treenteſimũ, inquit: *Conſtructo ergò Templo Saluatoris, Fauſtus Philippi filius conſtruxit Eccleſiam Fauſti in vinea, vbi pro Chriſtifide poſteà fuit interfectus: Iſta Eccleſia nunc dicitur Sancti Vitalis, vbi vſq; hodie miraculum magnum apparet, quia ibi nec aranea, nec auis aliqua habitare poteſt.* In Chron. Maior. c. 90.

Bonauentura Caſtellionæus idipsũ confirmat miraculum; & (quod ad rẽ

noſtram facit), pro Fauſtiniana habet Eccleſiam S. Vitalis, his verbis ex Italico: *Obtinuit Caſtritianus à Fauſto, & Portio hortum ipſorum, cum patrio palatio, ex integro; cunctiſq; in poteſtatem Eccleſiæ redactis, Fauſtus ad imitationem Patris, in parte ſua vineæ hæreditaria conſtrui fecit aliam Baſilicã ſacram in honorem Chriſti, vocatã Fauſtinianam, ſed poſtea decurſu temporis nomen conſecutam S. Vitalis, in qua Fauſtus ab inimicis fidelium tumultuariò fuit occiſus. Nec abs re videtur loquenti de hac Baſilica meminiſſe eius, quod vſquè in hanc diem eſt obſeruatum, in ea quantumuis humenti, male conſtrata, abſquè contignatione, vndiquè vetuſta, non habitent araneæ nec earum telæ vnquã ibi apparuerint; inſuper eandem non ingrediuntur volucres, eſto vndiquè aditus pateat.* Nec poteſt eſſe ſuſpectus incuriæ hic Author in referenda eius Eccleſiæ origine; quippè cũ vicinæ Ambroſianæ Prępoſitus fuerit, ex prædicti miraculi obſeruatione facilè potuit animum adijcere, vt illius etiam authorem, antiquitatem, & ve-

In Vita S. Caſtrit.

terem

terem nomenclaturam diligentiſſimè inueſtigaret.

Nec plures ſuperaddam teſtes, parcens Lectorum faſtidio: vnum non omittam, Breuiarium Ambroſianum recognitum, & editum iuſſu S. Caroli anno ſalutis milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſecundo, quo plus ſapere ſanè fuerit deſipere. Hoc in lectionibus S. Caſtritiani ſub prima Decembris habet: *Is aucta fidelium multitudine alias duas Ædes conſecrauit*. Recenſita autem Portiana ſubdit *alteram Fauſtã vocauit, quæ poſt, ad eam translatis Martyrũ Vitalis, & Agricolæ Reliquijs, illorum nomine appellata eſt*. Sacri enim huiuſmodi Codices, vt decet, ab antiquioribus alijs exſcripti: & conſultis monumentis, & probatioribus Scriptoribus, ſæpe recogniti, opera virorum in Eccleſiaſtica Hiſtoria peritiſſimorum, non ſunt extimandi voluiſſe mentiri, aut rem dubiam pro vera admittere, cum facilè fuiſſet omittere, quidquid non eſt penitùs

nitùs exploratum.

Scio equidem á te non ſolùm Breuiarium, ſed & prædictos omnes Scriptores contemni: quinimò, pleriſquè eorumdem relatis, profiteris oculatiorem ſententiam. Sed conaris contra ictum fluuij: nihilum non proficies aduersûs omnium Scriptorum profluentem. Interim inſtrue te præpotentibus, ac bipatentibus rationibus, diſcutiendis face ſequenti: Amòdo audias meas.

Cauſa extruendæ Fauſtæ Baſilicæ Caſtritiano fuit, ex relatis Authoribus, numerus fidelium excreſcens oppidò, & redundans; ita vt iam non ſufficeret ijs recipiendis prior Baſilica, in domo Philippi cõſtructa; & in dies fidei prędicatio quàm maximè frugeſcebat: ergò ædificandum erat aliquid magni, & indigentię opportunum: ne cras, aut perendiè cogerentur nouas ædificare Baſilicas: & ſicut Apes impleto alueario erciſcere familias, nouaſquè ſedes

con-

conquirere. Quale ſubſidium erat ſuperaddere Eccleſiæ inſufficienti pro multiplicatis fidelibus, Cappellulam Satyri, vix quinquagenæ hominum capacem? ergò non hæc fuit Baſilica, in fundo, & domo Fauſti conſtructa, ad multitudinem fidelium recipiendam.

Item: Fauſtus, & Portius eiuſdem parentis Philippi proles, pares eſſe debebant non minùs cenſu, & diuitijs, quàm Religione, & pietate. Caſtritianum quoquè par eſt credere, minoris non feciſſe vnum, quàm alium. Ergò ſi Portiana Baſilica (quod certum eſt) fuit amplè conſtructa, ita vt aduersùs Arianos in ea ſe munierit cum Ambroſio maximus Cætus fidelium, Fauſta, ſoror Baſilica vſquè adeò non debuit fuiſſe inferior illa, ſicut eſt Capella Satyriana.

Procedo: In Baſilica Fauſtę S. Ambroſius ſcribit, ſe depoſuiſſe Corpora SS. Martyrum Geruaſij, & Prothaſij, transferenda poſtridie in Ambro- *Epiſt. 54. ad Sororel.*

ſianam:

ſianam: *Tranſtulimus veſpere iam incumbente ad Baſilicam Fauſtæ, ibi vigiliæ tota nocte, & manus impoſitio; ſequenti die tranſtulimus ea in Baſilicam, quam appellant Ambroſianam.* Percipere nequeo, quâ intulerit Sancta Corpora priùs in Cappellam S. Satyri, quám in Ambroſianam; dum non niſi per hanc patet acceſſus ad illam? ergò dicendum fuiſſet; *Tranſtulimus ea in Ambroſianam, & hinc in Baſilicam Fauſtæ*, ſi hæc eadem eſſet cum predicta Cappella. Dices; Tunc temporis alio modo ſtetiſſe ſtructuram eius Cappellæ nēpè ſeparatìm ab Ambroſiana, habuiſſequè proprium aditū. Non aquieſco; nam; fuiſſet ſeparata; habuiſſetquè proprium aditum quantumlibet; certè non poterat ab Ambroſiana diſiungi magis, quâm ſit illa diſtantia quindecim vlnarum; per quam modô cernitur vnita, mediante illo tranſitu, inter ferreos cancellos incluſo; qui priuſquam clauderetur debebat eſſe anguſtus viculus. Imò tua

verba

verba ſunt; *Vix denos ab ipſa Ambroſiana paſſus diſtat*. Et quorſum in huius & Eccleſiolæ anguſtias cogere vniuerſum cętum fidelium Mediolanenſium; quorum tanta erat multitudo, vt obſiſteret Arianis, ac potentiæ Imperatoris Valentiniani? Procul dubio ad tantam celebritatem, tot miraculis illuſtratã, credendum eſt confluxiſſe Ciuitatem vniuerſam; fideles adoratum; infideles deriſum. Vulgabat fama, illic Energumenos liberari, cęcos illuminari, pulcherrima Sanctorum Corpora conſpici, ſanguine recenti perfuſa; quis non feſtinaret inuiſum? Quæ turbarum cõpreſſio, quæ confuſio adfuiſſet in Sacello, quod impleuiſſet ipſum ſolum ferculum? Quid inquam? Duo fercula: nam diſtintis loculis ea Sanctorum Corpora tranſlata ſunt: propterea arguis tabulam illam fuiſſe prægrandem quæ de camera decidit, & amborum Sanctorũ capitibus illiſa vbertim eduxit ſanguinem ex Gregorio Turonẽſi: præter

Ingens concurſus Populi ait D. Amb. ſcribens ad Sororem Epiſt. 54.

Num. 21.

De Gloria Mar. C. 47.

præter luminum apparatum, cantorũ, & ſacrorum Miniſtrorum nēceſſariã multitudinem, languentium, & energumenorum turbas. Quis ordo proceſſionis per illum angiportum ad Baſilicam cohærētem? Tanti facienda eſt huiuſmodi conſideratio anguſtiæ loci, vt hinc à Baſilica Petri ſapienter redargueric eos, qui aſſerebant Baſilicam Portianam non fuiſſe quæ hodie eſt S. Victoris, ſed aliam Sancti Martini proximam, & valde minorem: *Portianam*, ait, *mox S. Martini ad Corpus dictam aliqui ſcribunt; ſed vtcunquè ſit, in rei demoſtratione nullà eſt diſſenſio, neque enim* *In fragment.* *credibile eſt Portianam Baſilicam fuiſſe Ædiculam illam, quæ hodie S. Martini ad Corpus appellatur, & à Monachis cum titulo Paroeciæ, habetur, ſed potiùs Eccleſiam S. Victoris longè ampliorem, & antiquam*: Itaquè ſi exiguitas Eccleſiæ S. Martini, quæ adhuc triplo maior eſt Satyriana Cappella, prohibet credere, ipſam fuiſſe Portianam, tantæ dignitatis Baſilicam,

iudi-

iudicium idem à fortiori faciendum, erit de Satyri Cappella, quod non ſit Baſilica Fauſtæ.

Ad hæc: Tantam Baſilicam conditam in vſum fidelium excreſcentium, quibus non ſufficiebat Eccleſia SS. Naboris, & Felicis ad ſacra miniſtrãda, credibile eſt fuiſſe Eccleſiam Parochialem; non autem fuit vnquam huiuſmodi Sacellum S. Satyri; fuit quidem Vitaliana, ergò hæc, non illud fuit Baſilica Fauſtæ. Imò cum legatur S. Monam Archiepiſcopum, reddita Eccleſiæ pace, ac Domitiani perſecutione ſedata, diſtribuiſſe Vrbem in centum, & quindecim Paroecias, ad tantum numerum explendum veriſimillimũ eſt adhibitas fuiſſe, quotquot extabant, Eccleſias; ergo Satyriana Ædicula, vel ex hoc poteſt conijci nõ extitiſſe tunc temporis, quia Parochiale decus non habuit. *In Vita S. Monæ.*

Item, quod magìs eſt; nouimus Baſilicam Fauſtæ ſplenduiſſe Collegio *Hiſt. Pat. lib. 1.*

O Cle-

Clericorum in diuinis inſeruientium; ſiquidem ex eis Calimerus aſſumptus fuit ad Archiepiſcopatum referente Calcho, ibi: *Decennio ante Calimerus nobilis Romanus à Teleſphoro Pontifice ſacris initiatus, Mediolanum venerat; & à Caſtritiano receptus inter Clericos Ædis Fauſtæ, ad eam doctrinæ, & integritatis opinionem peruenit, vt omnium conſenſu in defuncti locum ſubrogatus fuerit* ſimiliter Beſutius; *Cum agnouiſſet eum*, loquitur de Calimero, *Sanctæ vitæ & ſingularis doctrinæ recenſuit in numerum Cleri Baſilicæ Fauſtinianæ; quo in Collegio manens longè antecelluit cæteros pietate*. Ripamontius quoquè enarrata fundatione duarum Baſilicarum, Portianę, & Fauſtæ proſequitur: *Caſtritianus, apertis in hunc modum Baſilicis, vt eſſent, qui eas obtinerent, initiauit Sacris, & deſcripſit in Sacra munera, viceſquè quos ad quodcumquè miniſterium eſſe idoneos putaret. Per eos Chriſtiana multitudo ſine ſtrepitu, ac tumultu cogebatur in Templa, partemquè publicæ iam lucis vſurpabat; quos perdiu latitare ſæuitia temporum*

Hiſt. Pat. lib. 1.

In Vita Calimeri.

Hiſt. Eccl. Med. Decad. 1. lib. 1.

porum coegiſſet. Et infra *Defuncto Caſtritiano, poſtquam aliquandiù conſultatum eſt, eunt ad Calimerum: certi cogere, niſi vltrò manum daret. Erat is in Fauſtiniani Templi Collegiũ ab hoſpite ſuo Caſtritiano iam antea cooptatus; ibiquè plaſmodia & Catechiſmo, cæteriſquè muneribus intentus martyrio firmabat vires, & auidè coronam expectabat, quàm olim petere non eſſet auſus.* Ex quo pariter confirmatur, eam Eccleſiam fuiſſe Parochialem; in qua tradebatur Catechiſmus, cęteraquè Eccleſiaſtica munia exercebantur. Vide, ſi peragi poſſint hæc in anguſtijs Cappellæ Satyrianę; quantus populus in eam cogi; vbi locus in ea Clericis ad pſallendum, ad functiones reliquas obeundas. Oſtende ſaltem veſtigia, parietinas Clericalium manſionum, & Poſtophoriorum. Benè autem fieri poterant ea omnia in Eccleſia S. Vitalis ampliori.

Deniquè, cum in cæteris nihil vnquam tám patens extiterit, quin de eo dubitatũ ſit inter Scriptores, vt adhuc

de ipſa Portiana nō defuerit, qui exiſtimauerit aliam fuiſſe ab ea, quæ hodie S. Victoris ad Corpus dicitur, vna Ecclesia S. Vitalis citra controuerſiam à cunctis recepta eſt pro Baſilica Fauſtę. Nec mirum, quia non permiſit ambigere perennis, & viua traditio populi, qui quotannis cum Clero frequētabat eam, dum ſtetit, S. Vitalis Eccleſiam, in Litaniarum ſacrarum amburbio, ſtatuto à S. Antiſtite Lazaro, quadraginta plus minùs poſt ānos ab obitu Diui Ambroſij, ad Celebriores tunc æui Eccleſias Sanctorumquè reliquijs inſignitas; de quarum origine, & ratione Ripamontius habet: *Hoc ritu Sanctorum opem expoſcunt, quocunquè in templo deinceps conſtitère. Pontifex abſoluta litania ſeparatìm precatur à Deo puram, integramq; mentem, ad ſacra tractanda piè ac purè.* Ac poſt pauca: *Hæc in digreſſu canuntur, hæc repetito mox itinere, donec ad Diui Carpophori valuas peruenère: Tunc in Sanctos auerſi quorum reliquias, & oſſa illa Ædes tuetur, vocat*

A Baſil. Petri in fragment.

Hiſt. Eccl. Mediol. Decad. 1. lib. 6.

eos

eòs in diuinæ gloriæ partem, & ſupremæ virtutis ac potentiæ præcones obteſtantur. In ea Æde, ac deinceps ad cætera templa, in triuijs in Sacellis, vbi vetuſtæ religionis ſedes, vbi trophæa crucis, vbi ſtatuta in tempus Aræ; ſtationalis litaniæ ius præfert ſua ſacra, ſuaſquè preces quo deſcriptæ ſunt ordine, ac ritu, certi chori, certiquè ſeparatim ordines peragunt. Et paulò inferiùs; *Has preces & hæc Templa, poſitioneſquè Lazarus in hunc modum deſcripſit Clero, Populo; Mediolanenſi.* Quæris itaq; vbi vetuſtę religionis ſit ſedes? Stationalis litaniæ ius præfert, quia loca, ſemel à Lazaro hoc cultu cœpta frequentari, deinceps vſus quotannis retinuit. Vnde nec poterat de ijs obliuio irrepere; durat non intermiſſus ritus ſacer vſquè in hanc diem. Cum autem ſtationalis litaniæ ius prætereat Cappellam S. Satyri vtiquê non eſt cenſenda ex ijs locis, vbi vetuſtæ religionis fuerit ſedes; qualis maximè erat Baſilica Fauſtæ. Et è conuerſo Eccleſia S. Vitalis, ob id potiſſimûm, reputanda eſt veniſ-

veniſſe in numerum locorum venerabilium, electorum á Sancto Lazaro ad ſtationèm litaniarum, pro vt deinceps obſeruatum eſt ſemper: quia ibidem recolebatur memoria inclyti conditoris Fauſti: cum cæterâ nullo fulgeret vſquè adeô pretioſo ornamento, exceptis pauculis reliquijs Sancti Titularis. Etenim Sancti Pontificis Monæ corpus, poſt Lazari tempora, ab Heriberto Archiepiſcopo in ea conditum fuit, translatum demùm aliò, ſuperiori Sæculo per Diuum Carolum. Næ incurius fuiſſet Lazarus, qui circuibat Ciuitatem, quæritans vetuſtæ religionis ſedes, ſpectabilia Sanctorum inuocandorum monumenta, ſi rem ſua Ætate recentem ignoraſſet, Cappellam nunc Sācti Satyri fuiſſe celeberrimam illam, & decantatam Baſilicam Fauſti, ſociam Portianæ. Imò iniurius fuiſſet Sanctis Satyro, & Victori; quos ais ibi ſepultos eſſe cum Caſto, & Polimio, ſi ipſis neglectis alia minûs ſancta

cta loca cum ſupplicationibus adijſſet. Nec ſanè dici poteſt ignota tunc fuiſſe illorum Sanctorum ſepulcra; tùm quia id non patiebatur memoria aliquorum hominum viuentium, qui Satyri funeri interfuiſſent; tùm quia de Victore teſtatur Gregorius Turonenſis, celebre fuiſſe eius ſepulcrum propter cęleſtem opem, quæ preſtò erat inuocantibus, præſertim captiuis. Nec certè longè quærenda erat Lazaro huiuſmodi *Ædicula* Sancti Satyri (ſi tūc adfuiſſet, aut eſſet celebris Fauſta) dū circumpoſitas inuiſeret Eccleſias Sancti Ambroſij SS. Naboris, & Felicis, Sanctæ Valeriæ, & S. Vitalis, ad quas hodie litaniarum ius Stationalis perdurat. *De Gloria Mart. c. 49.*

Caue etiam dixeris, immutatam fuiſſe aliquo tempore rationem Litaniarum à Lazaro inſtitutarum; quia adeò tenaces fuerunt in ea retinenda Præſules ſucceſſores, vt adhuc diruta Eccleſia Vitaliana preces nihilominûs

ma-

maneant, olìm in ea recitari conſuetę. Statuit quippè demolitor eius Sāctus Carolus, vt in poſterum eæ recitarentur ad certum Altare in Ambroſiana inuiſendum pro illa in Stationibus Litaniarum; quod ſaltem eſſet Altare Diui Satyri. Sed eſt prorsûs aliud, & illi nullus cultus in litanijs. Qui hoc fieri decuiſſet, dum ipſum Sacellum fuiſſet Baſilica Fauſtæ, & diues reliquijs SS. Victoris & Satyri?

FAX

FAX QVARTA.

Extinguens rationes, quibus contenditur Cappellam S. Satyri eſſe Baſilicam Fauſtinianam.

GEſtientem iam dudum te video cauſam tuã tueri, Lectoremquè pariter impatienter expectantem audire quas habeas rationes adeò euidentes, vt pro illis deſpicias cùm vocem populi tùm vniuerſum Scriptorum cętum. Ne ergò videar argumenta pro me expãdiſſe; pro te autem facientia diſſimulaſſe, tãquàm illorum vim ſubterfugiens, expandam hæc quoquè, & expendam. Quid hic expectas Lector? Auctorem vetuſtiſſimum teſtem? Nullus adeſt, nequè

 recens,

recens, neque antiquus. Cęlicam reuelationem? Nil minus. Sanè ſufficeret; ſed hæc Sanctorum ſunt. Quid ergo? Duæ picturę proferuntur muſiui operis: altera quidem in Ambroſianæ Odæo, in qua exprimitur Eccleſia Fauſtæ ſitu quodam, magis congruēti Sacello Diui Satyri, quam Eccleſiæ S. Vitalis. Altera in ipſa Cappella Satyriana, vbi leguntur hæ literæ FAVSTIN. Ite nunc ſapientes Doctores; ætatem inſumite in euoluendis Bibliothecis pro veritate indaganda; poſteriſque tradenda: nocturnis impalleſcite chartis: vnus artifex lucubrationes veſtras obliterat, fidem adimit, authoritatem eneruat: & quidem illius artis, cui cum Poeſi licentia eſt conſimilis effingendi quæcumque voluerit, iuxta illud Venuſini carminis: *Pictoribus atq; Poetis Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas*. Tu vero inquis num. 75. *Eiuſmodi autem argumētum ab hoc muſiuo deductum, tanti ego faciendum exiſtimo, vt eo conuictus*

ab

ab ijs omnibus diſsentire Scriptoribus cogar, qui nobis adhuc oppoſitum tradiderunt. Putabã arcanum aliquod hic educẽdum in lucem: ſed huiuſmodi picturæ in propatulo iam á tanto tẽpore omnibus proſtant: non niſi cęci eas non viderunt, & nihilominùs nullus noſtratum Scriptorum eas tanti fecit: nullus inde conuictus omiſit credere, & ſcribere, Eccleſiam Fauſtę fuiſſe ipſam, quæ poſteà dicta fuit Sancti Vitalis. Et mirũ profectò Bonauenturam Caſtellioneũ inter cęteros, qui per aliquot annos Baſilicæ Præpoſitum egit, nunquam ex inferiori Odęo fornicem verſus ſuſpexiſſe, vt literas illas *Eccleſia Fauſta* animaduerteret, ac iuxta eas in ſuis monumentis ratiocinaretur. Pluris ego facio maiorum noſtrorum ſapientẽ vnũ; qui feriò hiſtoriã ſcribat, quâm Pictorum millia, qui ſui capitis chimeras in parietibus, vel tabulis effingant. Non diffiteor etiam, his ſuam fidem deberi, quandocumquè cõnſtiterit propoſitũ
 ipſis

ipſis fuiſſe repræſentandi propriam rei imaginem, ex obiecto vero exemplatám. Sed nunquám illis intendam, quando aliud agentes circa opus libidinantur, & genio indulgentes appingunt parerga. Iſte mihi ſpectanda exhibet Saluatoris cunabula ruſtico ſub mapali: ille ſub porticu marmoreis fulta columnis: alius in antro topho excauato: Cęnantes cum Domino Apoſtolos hic intueor ad menſam oblongã, ibi ad rotundam, alibi ſuper ſtratis recumbentes. Quid hæc ad rem? Numquid propter Pictorum placita controuertam Euangelicam veritatem? Ille Troiæ incendium, hic Vlyſſis naufragia oſtentat, pro vt allibuit pingere: ergo nè tenear credere, ita prorsûs res ſe habuiſſe? Igitur, vt oſtendero picturas, quibus inniteris, & ais conuinci, non fuiſſe appoſitas ad exprimendũ realem, ac verum ſitum, ordinemquè ædificiorum, quæ continent, nihil inde potes arguere contra tot rationes, &

autho-

authoritates Virorum face præcedenti allatas. Nunc ad rem propius accedamus.

Notiſſima eſt hiſtoria, licet aliquatenûs controuerſa, qua refertur, Sanctum Ambroſium, dum Mediolani Sacra perageret coram frequenti Populo, inter lectionem Prophetiæ, & Epiſtolæ, raptum in mentis exceſſum, viſum fuiſſe reclinatum ſuper Altare, ſomno correptum tribus ferè horis indormijſſe, á Miniſtris tādem excuſſum, & monitum, quod Populum iam nimîs longæ moræ tęderet, euigilaſſe, ac ſciſcitantibus de rei nouitate, qualiaq; tunc paſſus fuiſſet, reſpondiſſe: *Nolite turbari: multum mihi valet ſic obdormiſſe; quia miraculum magnum Dominus mihi oſtendere dignatus eſt. Nam noueritis, fratrem meum Martinum Sacerdotem de corpore egreſſum fuiſſe; me autem eius funeri obſequium præſtitiſſe; peractoquè ex more ſeruitio, capitellum tantùm, vobis excitantibus, non expleui.* Neque hoc merum ſomnium fuit; ſiquidem

Greg. Turon. lib. 1. Mirac. S. Mart. C. 5.

dem

dem Mediolanenſes, diem, & horam huius obdormitionis notantes, intellexerunt, á Turonenſibus eodem tempore in eorum Eccleſia conſpectum fuiſſe, agnitumquè ſua Cappa indutum Sanctum Ambroſium; qui ſolemnes exequias celebrauit Diuo Martino, præcedenti nocte defuncto. Tantum miraculum ſancti Titularis cernitur expreſſum teſſellato opere, ſeu muſiuo, in Odæo Baſilicæ Ambroſianæ. Vbi ſedente Saluatore Domino Ieſu Chriſto, medio inter adſtantes Prothaſium, & Geruaſium, reliquum ſpatium implent duæ figuratæ Eccleſiæ; à dextris quidem Prothaſij Toronica (ſic ait inſcriptio pro Turonenſi) Mediolanenſis autem á ſiniſtris Geruaſij. In illa exhibetur cadauer S. Martini in feretro adſtante Diuo Ambroſio (nominibus enim inſcriptis dignoſcuntur) cum Clericis funeralia perſoluētibus; in hac idem Ambroſius cernitur ad Altare in ſpeciem dormientis, Lectore

in

in ambone mirante. Quod hic in argumentum ſuę aſſertionis Aduerſarius aſſumit, eſt: quia ibidem ponè Eccleſiã Mediolanenſem (quam ipſe ſupponit Ambroſianã) cernitur expreſſum aliud Ædificium, ſignatum *Eccleſia Fauſtæ*; ergo ait huiuſmodi Baſilica cenſenda eſt, ſtetiſſe antiquitùs, quando perfectum eſt hoc opus, eò ſitu, & ordine, quo repręſentatur in Muſiuo: ſed hoc ſitu, & ordine non manebat apud Ambroſianam Eccleſia S. Vitalis, imò manet potiùs Cappella S. Satyri; ergò hæc præ illa reputanda eſt Fauſtiniana. Minorem probat; quia Eccleſia S. Vitalis ſtetit vbi domus, nunc quæ adhuc S. Vitalis dicitur, ſtat; non à latere, *ſed à tergo Ambroſianæ poſt hodiernum Chorum, & aliquantulum ab eo diſsita*. Noſtrum autẽ Muſiuum refert Eccleſiam Fauſtæ, lateralem Ambroſianæ, & figuræ orbicularis, qualis prorsùs eſt Cappella Satyriana: Sic enim ſcribit: *In hoc autẽ nunc Odæo per Ædiculam illam, cui ſtat in-*

ſcriptum

ſcriptum ECCLESIA FAVSTÆ, non aliã video deſtinari, quàm eandem ipſam S. Satyri Cappellam. Figura illa eſt orbicularis; ſic etiam iſta. Et quanam verò altera, olim ſaltem, ſic erat? Numquid Eccleſia fortè S. Vitalis, quæ propè Baſilicam iſtam olim extabat? Ita ſanè, multi reſpondeant neceſſe eſt, quos ego quoquè infra commemorabo. Sed ea profectò S. Vitalis Eccleſia non orbicularis erat figuræ, ſed oblongæ, ſoloquè coopertæ tecto, ſine fornice, ac ſine altiori aliquo faſtigio, quod ipſi met tecto ſupereemineret; ſic enim à nonnullis ſenibus, qui eam viderunt, accepimus. Sic etiam lateralis ea non erat Ambroſianæ Baſilicæ, ſed ipſi à tergo poſt hodiernum Chorum, & aliquantum ab eo diſsita ſtabat.

Hoc argumentum ex pictura non eſt ſatis Hiſtorico dignum, niſi anteà probetur, quod ſupponitur; videlicet, omnia in illa repræſentari iuxtá verũ, & realem ipſorum ſitum, ac ordinem. Nam ſi ad Pictoris libidinem impletus ſit paries figuris, ac propoſitum fuerit tantùm repræſentare miraculi ſubſtan-

tiam, nil magìs cogor ad credendum ſingulas, quàm canem arrodentem oſſa ſub Cęna Domini pictum. Exigo igitur, vt oſtendas, qua ſui parte pictura illa veram imaginem exprimat obiecti ſignificati. Non ſunt ad viuum & naturale ſpecimen figuræ SS. Geruaſij, Prothaſij, Ambroſij atq; Martini; non Eccleſia Turonenſis, non Mediolanẽſis; & cur erit huiuſmodi Eccleſia Fauſtæ, quæ nihil habet cum hiſtoria miraculi, ſed ingreditur vt parergon? Sed eſſet, vtcumq; dicis, ille, qui delineatur in hoc muſiuo, verus ſitus Baſilicæ Fauſtæ; ex eo probas quidem Eccleſiã S. Vitalis nõ ſtetiſſe tali modo, & proinde fuiſſe diuerſam ab Eccleſia Fauſtæ; at non ideo probare poteris, Cappellam S. Satyri manere eo loco, & ordine, quo ponitur in Muſiuo Eccleſia Fauſtæ: ſcilicet in fine Ambroſianæ, contra altare maius, ad læuam oſtij primarij eiuſdem Eccleſiæ: imò Cappella S. Satyri extat ex oppoſito ad

aliud caput Baſilicæ, lateralis, & ſiniſtra Tribunæ. Vide quomodô hæc pictura poſita ſit ex artificis arbitrio, abſquè propoſito repræſentandi veram Eccleſiam, ſiue S. Vitalis, ſiue Satyri? ergò ex ea nihil poteſt concludi. Poſtquàm medium illius parietis ornauerat Pictor imaginibus Saluatoris, & adſtātium Geruaſij, & Prothaſij, reliquum quod ſupererat ſpatij, hinc inde impleuit pari ordine, & conſimilibus picturis: nempè ex dextera parte Prothaſij poſuit inter duas palmas, inuicem cōuerſas, Eccleſiam Turonenſem tranſuerſam cum tribus abſidibus, ſeu pinnaculis ſuper tecto, vna Cappellula ad pedes, altera ad caput ipſius Eccleſiæ: in cuius medio repræſentatur Ambroſius, circa Martini funus ſollicitus. Ordine verò, & ratione prorsûs parili ac reſpondenti, impleuit ſiniſtrum Geruaſij latus, Eccleſia Mediolanenſi trāſuerſa, inter duas itidem inuicem conuerſas palmas, cum tribus abſidibus cū

Ædi-

Ædiculis ad caput, & ad pedes, & huic inſcribere placuit *Eccleſia Fauſtæ*: quià huiuſmodi cum eſſet celebris Mediolani, indicabat in ea Vrbe tunc Ambroſium vacaſſe ſacris altaribus, quando ſimul Turonis funeri adfuit Martiniano: in quo conſiſtit ſubſtantia miraculi, quæ fuerat exprimenda: ob quã etiam cauſam inſcripſit ſupra Eccleſiã nomen hoc Mediolanium.

Neque tamen adhuc mihi liquidum eſt, quod apud te omni dubio caret: videlicet Baſilicam Ambroſianam fuiſſe ipſam, in qua contigit miraculum, eãdemquè repręſentari in illo Chori muſiuo. Sanè Gregorius Turonenſis, qui primus tradidit mirabilem hanc hiſtoriam, nihil loquitur de Eccleſia, in qua Diuus Ambroſius tunc temporis ſacra perageret: tantùm habet, quod Mediolani degeret. Tu nihilominùs fidenter agis paraphraſtem illius verbis. *Quæ quidem tàm Gregorij, quàm Breuiarij verba, ſi ad propriam germanamquè ſignificationem*

accuratè perpendantur, hunc profectò ſenſum præſeferunt: vt eodem ipſo tempore, quo Sanctus Ambroſius ad altare IN HAC BASILICA conſiſtens dormiebat, ſimul etiam conſpicuus in Baſilica illa Turonenſi conſiſteret, ibiquè in adſtantium conſpectu agnitus pro Ambroſio Mediolanenſi Archiepiſcopo, defunctiquè Præſulis amiciſsimo, funus illi pompa ſolemni celebraret. Libenter audirem, vndè acceperis, quod Ambroſius cõſiſteret ad altare IN HAC BASILICA. An quia ibi picta fuit huiuſmodi hiſtoria? Neceſse nè eſt, vt non exhibeantur in Templis geſta Sanctorum Titularium, niſi ibidem contigerint? Quis non abnuat? Imò genuina interpretatio verborum Gregorij,& Breuiarij,dum nullam ſpecialem Eccleſiam nominant, ſuadet, vt intellexerint S. Archiepiſcopum de more tunc ſacris operatum fuiſſe in ſua Cathedrali, qualem non fuiſſe Ambroſianam ex te habeo nu. 5. *Sed ne Baſilica quidem iſta viuẽte Sancto Ambroſio, nobis Baſilicæ Cathedralis, ac Metro-*

politanæ

polit anæ prerogatiuam obtinuiſſe viſa eſt adhuc. Quæ celebritas extraordinaria impulit Sanctum Antiſtitem, tertio Idus Nouembris deſerere Eccleſiam ſuam Cathedralem ordinariam, & adirę perſolutûm ſacra in alia non Cathedrali? Oppoſitum magis indicare videntur Manuſcripti Catalogi Archiepiſcoporum Mediolanenſium, quorum concordantia refers verba: *Hic ſuper altare dormiens inter lectionem, & epiſtolam, per ſpatium ferè trium horarum, IN ECCLESIA MEDIOLANENSI, Pictauij ſepulturæ S. Martini, Cappa ſerica indutus, Corpus B. Martini ſepeliuit.* Eccleſia cuiuſquè Ciuitatis, abſquè alio addito, intelligitur principalis, ſeu Domnica, vulgò Domus per *A*ntonomaſiam, & ſicut per illã, quę in dextro latere picta eſt cũ inſcriptione TORONIC*A*, nõ ambigitur ſignificari Cathedralẽ Martini Turonenſem, ita per hanc, quæ abſolutè dicitur Eccleſia Mediolanenſis, cur non accipiamus Cathedralem Vrbis *A*mbro- *Num.95.*

*A*mbroſij? Quod ſi adhuc abnuas, quia *A*mbroſiana ſit, quæ muſiuo opere repræſentetur, dicam ego Fauſtinianam fuiſſe, quia inſcriptione notatur. Nec aliæ deſunt ſolidiores coniecturæ; pia nimirùm propenſio *A*mbroſij erga hãc Eccleſiam, quam inter cæteras ſibi dilectam fuiſſe Ioannes Baptiſta Villa teſtatur; eò quod ditaſſet Reliquijs Sanctorum Vitalis & *A*gricolæ, Bononiâ, vbi ipſe reconditos Martyres patefecerat, exportatis. Quamobrem probabile eſt conſueuiſſe in ea frequenter ſacrum façere; & eò præſertim tertio Idus Nouembris die, quòd eſſet octauus à Martyrum celebritate, ac proinde iuxta antiquum ritum valdè ſolemnis.

Agè nunc contemplemur, num ipſa graphices referat *A*mbroſianam. Vbi in hac tres tholi illi, ſupereminentes recto, amplior in medio, duo minores in extremis, quos præfert pictura? In hac pulpitum cum Lectore cernitur ad læ-

uam

uam in imo Templi propè ianuam; nō ſic manet in Ambroſiana. Huius poſt Tribunam non extat Ædicula illa turrita, & feneſtrata, culmine hemiſpherico, quam oſtendit muſiuum. Et licet dicas: *Quæ quidem Ædicula quis neget, hodierni Chori parietes, ambitumquè repræſentari?* nemo non cæcus tibi conceſſerit, Ædiculam illam, quam muſiuum oſtētat poſt Tribunam, nil aliud habere hodierni Chori, præter ſitum. Deniquè vbi ſunt in imagine muſiua duæ illæ Cymbalarię turres, quę ſupra Ambroſianæ frontem hinc inde aſſurgunt? Quod ſi dixeris, eas nondum fuiſſe cōſtructas, cum pictura illa poneretur; ſaltem alio loco hæc Baſilica habere debuerat turrem Campanariam, quæ nulla cernitur in muſiuo. Sin autem occurras alio modo hanc Baſilicam ſtetiſſe antiquitus, hoc eſt prorſus diuinare, velle conferre typum cum Ambroſiana, qualis non extat, & Fauſtinianam non extantem, cum Cappella S. Satyri exiſtente.

Ego

Num. 75. Ego quidem reor, Pictorem noluiſſe exprimere hoc in latere duas Eccleſias: ſed ſicut in aduerſo vnicam cum Cappellis adiacentibus poſuit, inſcriptam TORONICA; ita hic ſub inſcriptione *Eccleſiæ Fauſtæ* comprehenderit totum illud ædificiũ, in quo ſpectatur *A*mbroſius ad *A*ltare, & Lector in ambone. Nequè enim tantula portio parietis, continens inſcriptionem, ſola habet Eccleſiæ ſpecimen. Quod ſi duę eſſent Eccleſię: quorſum minori, & ad rem nil facienti indere nomen: ipſam vero principalem, in qua repræsẽtatur hiſtoria, innominatam relinquere? Vt vt ſit, clariſſimum apparet, huiuſmodi picturam non aliundè deſumptam, quám ex idea mentali artificis, & non immeritò floccifactam ab omniũ Scriptorum & populi traditione: per quam conſtat, Baſilicam Fauſtinianam fuiſſe Eccleſiam olim Sancti Vitalis, minimè vero Cappellam Satyrianam: nulluſquè abs te, tàm imbecilli fuit ingenio,

genio, vt hoc vmbratili argumento conuinceretur, ex pictura imaginaria, ad res non extantes traducta. Me potiùs vrgent præter authoritates tantorum virorum, rationes validiſſimę face præcedenti allatæ, & ipſa ab initio per ætates continuata populi traditio, venerata Eccleſiam Vitalianam pro Fauſtiniana.

Tranſeamus modò ad Cappellam S. Satyri, inſpectatum aliud Muſiuum, ex quo pariter deſumitur argumentū, ipſam fuiſſe Baſilicam Fauſtinianam. Suſpicientibus Sacelli concameratum verticem medius apparet in Cęlo aureo latè fulgenti Sanctus Victor Martyr; huiuſmodi etenim nomen inſcriptum eſt libro in manu eius patenti; ſed præterea ſingulas Cruces grandiuſculas manibus ſingulis geſtat; in quarum tranſuerſa parte characteres nonnulli viſuntur; in dexterà quidem legitur PANE GRATIÆ, in ſiniſtra verò FAVSTIN. Igitur, ais, hæc inſcriptio

abundè docet, *Æ*dem illam eſſe priſcam Fauſtinianam.

Citò & facilè interpretatus es, pro vt tibi conduxit, Epigraphem Crucis læuæ: Agè iam interpretator etiam, quæ eſt in dextera. Non ſatis percipio, quid ſibi velit ly PANE GRATIÆ. De hoc ſiles. In primo fuiſti Oedipus, in altero es Dauus? Pane gratiæ quid? Sanè verba hæc abſquè verbo nullum gignunt ſenſum. Dicam ego, quod à fideli & ſenſato viro accepi, rationiquè proximum eſt. Pro dictione illa FAVSTIN primitiua inſcriptio habuit PAVISTI NOS; & hæc benè concordabant cum verbis dexteræ; imò declarabant Crucis, cui inſcribuntur, beneficium, humano generi præſtitum: quo apprimè fruuntur tùm ipſe Victor, tùm alij Sancti, in Sacelli parietibus hinc indè infra teſtudinem pari muſiuo expreſſi; nimirùm quod, ſicut per ligni vetiti eſum inuidia Diaboli pauit hominem pane mor-

tis:

tis: ita, vt qui in ligno vincebat, in ligno quoquè ſalutiferę Crucis vinceretur, inde nos pane gratiæ paſti, reuocamur ad vitam. Malignum inierant cōſilium Chriſtiperdæ, per Cruces, & tormenta eradendi caput de terra viuentium, ne in membris Chriſticolis nomen eius memoraretur ampliùs, dicentes; Venite mittamus lignum toxici in panem eius. Sed in lignum vitę, & panem gratię conuerſæ ſunt Martyribus cruces; quia ſicut ex pane ſtat omne nutrimētum, & robur hominis: ſic per Crucem Chriſti parta nobis gratia, vegeti, & fortes efficimur ad opera vitæ æternę; ad quæ aliàs imbecilles, ac nullæ ſunt naturæ noſtræ vires. Pane gratiæ, qui de Cruce nobis eſt ſatus, & meſſus, confirmati corde præualemus aduerſus rebellem ſenſū, redigimus in ordinem ſub iuſto rationis imperio paſſiones effrænes portionis inferioris. Quod ſi hoc non innuitur ſignatis verbis; dicito tu amabò;

quid prætendatur ly PANE GRATIÆ ſolo: & quid his verbis ſit cum FAVSTIN, ſeu Baſilica Fauſtæ.

Deinde, quorsûm appinxiſſent dictionem ſic mutilam, nec literarum numero reſpondentem verbis dexteræ Crucis? Cur non ſcripſiſſent integre & claré (ſpatiũ enim ſupererat) FAVSTINIANA? Contrà verò ſi legatur PAVISTI NOS, appoſitum facit ſenſum cũ alterius Crucis inſcriptione PANE GRATIÆ, & reſpondet dextro numero dictionum, & elementorum.

Quarè non leue offertur indicium ſuſpicandi, fuiſſe has literas abraſas, & immutatas dolosè, ad aſtruendam loci antiquitatem, quanta requirebatur ad ſepulcrum Satyri; quẽadmodum poſtico eiuſdem Cappellę altari callidè inſertus eſt lapis, indicans ibi iacere eius Sancti Corpus; poſtquám Abbate, & Priore eius Monaſterij inſpicientibus, nihilq; contradicentibus facta

fuit

fuit inuentio, recognitio, & translatio eius Sancti cum alijs in Baſilica Portiana, ſeu S. Victoris anno ſeptuageſimo ſexto vltra milleſimum & quingenteſimum, vt ſuo loco exclareſcet. Sicut etiam ad eiuſdem commentitiæ vendicationis fulcimentum, ſub tabula & imagine recenti D. Ambroſij, ſuã operam circa funus Satyri impendẽtis, nuper additum eſt ibidem aureis, & recentibus literis Epitaphium fratri compoſitum, quaſi ab eodem ipſo ibi primò affixum. Id quod aliorum relatione deceptus exiſtimauit ſtudioſus, & nobilis quidam antiquarum Inſcriptionum noſtræ Vrbis collector, & vulgator; qui tamen certior factus erroris correcturus erat, ni iã impreſſum fuiſſet, cum ad Typographiam acceſſit.

Pari ratione haud inueriſimile fit, eos, qui tot artibus ſtudent ſuadere poſſeſſum ſibi Sacrum Satyri corpus, accommodaſſe illam Crucis Epigraphem ſuo inſtituto, nec valdè operoſum erat vertere

tere PAVISTI NOS, in FAVSTIN, ſicut conſideranti patebit.

Ingenuè fateor, me literas huiuſmodi cominùs non inſpectaſſe, quippè in ſublimi ſunt, loco ſuboſcuro, tribuſq: ferreis cancellis inuicem diſtantibus non facile peruio; ſed ſi alicui non denegetur propior acceſſus, comperiet, exiſtimo rem ita prorsûs ſe habere. Intereà ſi mihi hæc trāſmigratio inſcriptionis denegetur, & re vera ipſa primaria inſcriptio fuerit FAVSTIN, perpendendum rogo, quàm violenter hoc traducatur ad ſignificandum, eam Eccleſiam fuiſſe Baſilicam Fauſtæ. Vbi nam gentium conſuetum fuit inſcribere Eccleſijs nomen ipſarum? perinde omnino hoc fuerit, ac ſi quiſquam in fronte, vel in ſcapulis geſtaret ſuum nomen, vt dignoſceretur. Templa habentur ſatis nota ex ſemetipſis, & Populi nuncupatione. Secundò ſi addēda fuiſſet inſcriptio nomenclaturæ illius Eccleſiæ, ineptiſſimus omniū erat

locus

locus ille in vertice concamerationis, in Cruce à S. Victore prætẽſa è regione alterius Crucis, cuius inſcriptio diuerſa eſt toto cęlo; ſed affigenda fuiſſet in fronte, aut ſuprà poſtes, vel ſuperliminare Eccleſiæ. Tertiò ad hominem: minimè omnium potes ita interpretari tu, qui, num. 80. laboras in ſuadendo, non male dicere eos, qui vocant Baſilicam Fauſtæ potiùſquam Fauſtinianam á Fauſta filia, non autem à Fauſto filio Philippi, & rationem affers: *Atqui in noſtro Odæo inſcripta manifeſtiſsime legitur ECCLESIA FAVSTÆ; Sanctuſquè quin etiam Doctor Ambroſius nuſquam legitur aliter eam nominaſſe, quàm BASILICAM FAVSTÆ, in epiſtola ſcilicet 54. ad Marcellinam ſororem, quemadmodũ ex ipſius calamo ſcribit etiam Cardinalis Baronius in eiuſdem Vita. Nequè igitur Sanctus Ambroſius (dicam ego) nequè maiores illi noſtri, è quorum præſcripto Baſilicæ illi Fauſtinianæ adſcriptũ in Odæo fuit ECCLESIA FAVSTÆ, nec item illic Baronius, alijquè omnes*

hac

hac in re ipſos ſequuti, cenſuerunt eam, ſic è Fauſto fuiſſe denominatam, ſed potiùs è Fauſta filia, & fœmina. Igitur quæ in Odæo Ambroſiano intitulatur ECCLESIA FAVSTA eadem non erat ſignificanda in contiguo Sacello per hoc nomen FAVSTIN; abſoluta magis res erat inſcribere FAVSTA, & cum Odæi muſiuo concordare.

Quid ergo, inſtas, ſignificabit ea dictio? Alia omnia. Nonnè prętendere poteſt Fauſtini vel Fauſtinæ nomẽ, Benefactoris, aut Benefactricis, qui ornandum curarint locum eo opere muſiuo? Nonnè ipſe artifex veriſimiliùs nomen ſuum, quàm Eccleſiæ appingere potuit; cum hoc inſuetum, illud maximè ſolemne ſciatur? Sic in Metropolitana legimus Sculptorũ inſignium nomina Biffij, & Buſchæ; ſic in Vaticana Romæ ad Mauſoleum Pauli Papæ Tertij marmoreum quoddam ſimulacrum nomen oſtentat Guilielmi Portæ artificis in libro, quem manu tenet.

net. Quid plura? In ipſo aureo altari, quod Ambroſianæ Baſilicæ obtulit Archiepiſcopus Angilbertus Puſterla, á te luculenter deſcripto, nonnè Vuluinius ipſe artifex ſe met inſculpſit in ſpeciem recipientis coronam pro operis labore, à Diuo Ambroſio? Deniq; nihil frequentiùs, nil magìs obuium quàm in egregijs artefactis, artificum elucere nomina. Vſquè adeò viguiſſe legimus hanc ambitionem; vt Phidias, cum non liceret per legem Athenienſium Artificibus ſua nomina operibus indere, imaginem ſui ipſius è ſpeculo ita ad viuum tranſtulerit in clypeum Palladis á ſe elegantiſſimè efformatæ, vt quiſquis primo exclamaret intuitu, en Phidiam, en Phidiam.

Peto demùm abs te, quando nam inſignis hæc Baſilica Fauſtæ mutauit appellationem? Reſpondes: *Nobis etiam ex eiuſmodi faſtigio ac vertice aurato profecta videtur ea ipſa Sancti Victoris ad Cœlum aureum appellatio.* Igitur, ſi cum ornaretur

S nouo

nouo illo muſiuo Ædicula, ex tūc amiſſura erat nomen Fauſtinianæ, & vocāda deinceps Sancti Victoris ad cęlum aureum; tantum abeſt, vt congruerit inſcribi per illud FAVSTIN nomen Baſilicæ Fauſtinianæ, vt potiùs expūgendum fuiſſet, ſi prius ibi extitiſſet, ad abolendam veterem nomenclaturā. Sed proh triſte fatum huius Baſilicæ! Cęterę Eccleſiæ proprium iugiter ſeruant nomē, abſquè vlla ſui ſuperſcriptione, ſola populorum traditione per generationes & generationes; hæc autem, vel cum nomine ſuperſcripto, ignorata eſt cunctis abs te: lynceus tu ſolus, & ſagax: reliqui omnes lippi, & bardi, qui aut non viderint, aut non cogitauerint, aut á nullo maiorum traditum audierint, literas illas eſſe in vocabulum Eccleſiæ Fauſtinianæ, quam dixerunt perpetuò Eccleſiam S. Vitalis.

Pęnè exciderat mente aliud tuæ aſſertionis argumentum, ex antiquitate parietum

parietum deductum: hos namquè ex aſpectu cenſeri vetuſtiores Ambroſianis, perfacile ſuaſu facis, quòd intendis, Cappellam S. Satyri præextitiſſe Ambroſianæ Baſilicę, ſicut præextitit Fauſtiniana. Scribis enim: *Altera verò S. Satyri eſt Cappella; eademquè intus, ac præſertim foris à tergo, vbi ex antiquo anteridibus, & eriſmis (Barbacani, Contraforti, e ſperoni à nobis Italicè vocantur) ne vetuſtate corruat, hinc inde fulta eſt; tantum profectò ſpirat vetuſtatis, vt citra dubium cenſeri debeat longè vetuſtior ijs met Baſilicæ parietibus, quos præ cæteris primores, & ab ipſo met Sancto Ambroſio conditos credere poſſumus.* Decipimur planè omnes in iudicando de his, quæ percupimus. Sæpè Intellectus voluntati prępoſterus ab hac trahit iudicium. Tu *citra dubium* cenſeri debere, ais, hos parietes vetuſtiores illis: cum inter ipſorum ætates adeò exiguum eſſe poſſit diſcrimen, vt ſenſibus fiat imperceptibile, nullaquè ingenij perſpicacitate certò indagabile. Eſſent

S 2 parie-

parietes Cappellæ S. Satyri ipſi, quos optas, Fauſtinianæ: quot annorum vetuſtate præcederent *A*mbroſianos parietes? Vix ſeſquiſæculo; hæc autem ætas, quamuis abſolutè ſpectata ſit non modica, tamen comparata ad ætatem tredecim ſæculorum *A*mbroſiani *Æ*dificij, eandem proportionem habet ad ipſam, quam ſeſquiannus ad tredecim annos. Si ergò nequires citra dubium diſcernere vetuſtatem maiorem, vel minorem inter duas domos, ædificatas, alteram anno ſæculi noſtri quadrageſimo tertio, & alteram quadrageſimo primo; quomodo prȩſumes ſtatuere de vetuſtate maiori aut minori *citra dubium* ſolo aſpectu inter parietes Fauſtinianæ, & *A*mbroſianæ? Ego quidem valdè hæſitarem, & fortuitò pronuncians facillimè fallerer ex deteriori ſtructura iunioris exiſtimans ſeniorem. *A*tqui, ais, imbecillitas parietum Satyrianæ, indigentium fulciminibus iam à tanto tempore, ipſa
lo-

loquitur, & teſtatur ſenium Ædificij. Verùm, inquam ego; ergò infirmitas omnis eſt index ſenectutis; ergò adoleſcens claudicans, quia nititur baculo antiquior erit erecto, ac vegeto ſeptuagenario. Prorsùs tua iſthæc ſententia de Cappella S. Satyri, quod ſit Eccleſia Fauſtæ, licet recentiſſima ſit, adeo tamen labaſcit, vt nullis anteridibus, & eriſmis, fulciminibus nullis ſuſtineri queat, nè corruat. Bonis, vel malis materibus, ac opificijs eſſe conſtructa Ædificia, iſtud reddit eadem firma, durabilia, & aſpectu noua, vel secùs. Aſpeximus noſtra ætate Templi S. Alexandri tholum, vix conſtructum oportuiſſe demoliri; nec non Victorianæ noſtræ Ædis collapſam partẽ, dum ædificaretur. E contra ſunt aliqua vetuſtiſſimæ ſtructuræ ædificia, quæ vix ferro & igne, multo labore, & ſudore deſtrui valeant. Huiuſmodi ſunt in Vrbe noſtra S. Ioannis

in

in dolio, S. Euſtorgij, & S. *A*quilini Eccleſiæ, quæ, inter antiquitate præcipuas cenſentur, apparent nihilominus ita firmiter compactæ, vt ſine anteridibus & eriſmis videantur vnquã neſcituræ ruinam. Et certè longè ampliores mole ſunt qùam Satyriana Ædicula, quæ ob ſui exiguitatem, ſi ab initio condita fuiſſet ſtructuræ validæ, non eguiſſet fulciminibus.

Cum itaquè leuidenſibus hiſcè rationibus, ſeu veriûs coniecturis improbabilibus, ex vetuſtate parietum, ac ex vtraq; pictura muſiua, tùm Chori *A*mbroſianæ, tùm Cappellę Satyrianæ argui nequeat, hanc eſſe priſcam Fauſtinianam, inconcuſſa manet communis Hiſtoricorum ſententia, Maiorum traditio, vulgiq; acclamatio, demolitam ſuperiori ſęculo Eccleſiã S. Vitalis fuiſſe veterem Baſilicam Fauſtę; & conſequens remanet, *Æ*diculam Satyrianam nil eſſe ampliûs

qnâm

quâm ſimplex *A*mbroſianę Sacellum, nec antiquitate, nec nobilitate vlla pręferendum ipſi Baſilicę *A*mbroſianę, vt in eò potiùs, quâm in hac ſepeliret Diuus *A*mbroſius chariſſimum germanum Satyrum, præter peculiares rationes tertia face indicatas.

FAX

FAX QVINTA.

Demonſtrans, Diuum Satyrum ſepultum fuiſſe in Baſilica Sancti Victoris olim Portiana.

QVecunqûe diſputauimus hactenùs, ea pręmiſſa ſunt ad illuſtriorem veiitatis oſtenſionem; vt appareat, etiam hiſtoriæ monumenta cauſæ noſtræ ſuffragari, quatenùs palàm fecimus, tantùm abeſſe, quòd Diuus Satyrus ſepultus fuerit in Ambroſiana Baſilica, vel Satyriano Sacello, eius portione; vt nequè potuerit id fieri in illis nondum extantibus. Cęterùm, euicto etiam per Aduerſarium, quod nulla eſſent; quę hucuſquè demonſtauimus, nihil

am-

amplius obtentum eſſet, quàm potuiſſe illius Sancti Corpus ſepulturæ mandari in ſupradictis locis, non minùs quàm in Eccleſijs S. Euſtorgij, Sanctorum Naboris & Felicis, Sancti Nazarij, Fauſta, Portiana, cęteriſquè tunc temporis exiſtentibus. Vis potuiſſe id fieri? potuit: quid ad nos? Quæſtio noſtra non eſt de poſſibili; generaliſſima hæc theſis iam contracta eſt, ad quem locum Diuus Ambroſius præelegerit cōdere exuuias fratris Satyri, & vbi nam de facto condiderit. Nos concordantia cum Populi acclamatione, & Scriptorum atteſtatione exhibemus locum, inſcriptionem, corpus ipſum cum ſocio in Eccleſia Sancti Victoris (ſiquidem quod exhibetur per publicas tabulas, editas coram Sāctiſſimo *A*rchiepiſcopo, illuſtribus viris, probatis teſtibus, vniuerſaquè Ciuitate, perinde eſt, ac ſi, quod ij inſpexerunt, & noſtris oculis iugiter ſubijceretur.) Tu verò quid profers? *Fieri*

potuit, Quid ſi factum ſit hoc, vel alio modo? Iam non opus eſt quæritare quid nam, aut quali modo fieri potuerit, nequè quid ſibi perſuaſerint Ambroſiani Monachi, quidquè paucis alijs inſtillauerint bona fide; quando adhuc non inuento, & recognito eo ſacro corpore, eorum ſolitaria opinio poterat cũ noſtra, & populi, quamuis impari marte, pugnare. Nunc verò poſtquàm omnis ambiguitas ſublata fuit, & quæcũquè deſiderari, & peti poterant à contradicentibus, in veritatis certificationem, præſtita ſunt, vt quid denuò titionem fumigantem educere de cineribus iam ſopitum, ad nouas litium flãmas inaniter accendendas? Ex pluribus ſacris locis, in quibus tempore Sancti Præſulis Ambroſij pietas Mediolanenſis in Dei cultu egregiè exercebatur, celeberrima fuit Baſilica Portiana, vt attigimus ſuprà, á Beatiſſimo Epiſcopo Caſtritiano excitata, & dicata in fundo Portij, filij Philippi. Hãc

præ

præ cęteris inuidentes fidelibus *A*riani poſtulauerunt in primis pro Auxentio eorum Pſeudoepiſcopo. Conſtātiſſimè ab Ambroſio denegatam, illata vi conati ſunt Auguſtis fauentibus, expugnare. Strenuè repugnarūt noſtri, & euicerunt. Iterum, obſidione preſſis fidelibus iniectę ſunt aliquando in templum á ſacrilegis faces, nec tamen illæ ſacros parietes aut tecta adlambere auſę ſunt, ne pietas aut Religio quæ tunc Mediolani vigebat aut Diuorum ibi tumulata corpora læderentur. Impij ſtupore perculſi diſceſſere: Catholici cum fideli Paſtore, in Diuino præſidio ſecuri, & læti inſtituerunt, hymnis, pſalmis, & Canticis in Dei laudem hoſtiumquè contemptum vacare. Nā quæ maxima huius Baſilicæ laus eſt, & Oliuetanis Monachis, quibus eam cōtigit poſſidere, ingens in Domino gloriandi ratio: ibi primum terreſtris plaſmodia, imitatrix Cęleſtium concentuum, audita eſt reſonare, *A*mbroſio

Paulinus in Vita Amb.

Ripam. Decad. 1. lib. 4.

Sermo de Baſil. non tradendis.

inſtitutore; vnde poſteà ad orbis vniuerſi dimanauit Eccleſias, Damaſo Romano Pontifice, Hieronymo, Benedictoquè Monachorum legislatore propagantibus. In hac diuinæ laudis magiſtra Metropolitanam fixerunt Cathedram aliqui priores Archiepiſcopi, inter quos Sancti Mirocles, ac Prothaſius, poſt huius vitæ curriculum ſacra ſua oſſa ibidem reliquerunt. Eandem ſelegit Ambroſius ad diſſerendũ de altiſſimo Incarnationis Dominicæ myſterio, prouocatus à duobus illis Gratiani Imperatoris cubicularijs, Arianis illuſoribus, quibus ad condictã diem non comparẽtibus, nihilominùs Doctor Sanctus exedram conſcendit, tractatum habuit illis verbis exorſus: *Debitum fratres curo ſoluendum, ſed heſternos meos non inuenio creditores*: In eadem, ſicut olim in Hieroſolymitano Cęnaculo, congregatis fidelibus pro electione Epiſcopi Spiritus Sanctus dignatus eſt viſibili ſpecie apparere, igneiſquè

Idem Paulinus.

Gualuaneus Flamma. Carolus a Baſilica Pet. in vita S. Mona.

cor-

corruſcātibus radijs capiti Monę inſedit, ipſum indicans eligendum. Sed & temporibus ſubſequentibus decoratus eſt locus aliorum Sanctorum ſepulcro, præſertim Archiepiſcopi Datij. Precipuum autem decus Baſilica auſpicata eſt ex Corpore Sancti Victoris Martyris, eius quidem, qui genere Maurus, ſub Maximiano Imperatore miles, pro confeſſione Chriſtianæ fidei ab eodem iuſſus eſt, poſt varios cruciatus, capite plecti Mediolani in Sylua, quæ dicebatur ad Vlmum, propè viridarium Imperatoris, cui etiam Martyr iam iam occubiturus extrema vaticinatus eſt. Barbari Tyranni mandato corpus volucribus, & belluis adiudicatum pabulum, cum per ſex dies iacuiſſet inhumatum, ac beſtijs illibatum imò à duabus ex ijs cuſtoditum, excubantibus ad caput vna, altera ad pedes. Diuus Maternus Archiepiſcopus anno ſalutis trecenteſimo ſeptimo ſepeliuit, non procul à loco Martyrij,

in hac Baſilica Portij; qui tandem Eccleſiæ denominationem ceſsit Martyri, tanquám digniori. Sed & cum tractu temporis in honorem eiuſdẽ plures aliæ Eccleſiæ Deo dicatæ fuerint; ſpeciali cognomine *ad Corpus* hæc eſt ab alijs diſcreta, in quibus ſacra quidẽ Martyris memoria colebatur, non autem Corpus. Ex huiuſmodi præclariſſima prærogatiua, nimirum ſepulcri inclyti Martyris Victoris, Ambroſius ſelegit Portianam ad contumulandum dilectiſſimum fratrem Satyrum, quando aliàs ipſa Eccleſiæ dignitas idipſum efflagitabat. Et in qua nam alia magis decebat reponi ſacrum Corpus tanti Herois, ipſius Archiepiſcopi, & Metropolitæ germani? Porrò non ignorandum eſt, celebrem tunc temporis fuiſſe fidelibus religionem, ſatagendi, vt ſua corpora quandocunquè ipſis exui contigiſſet, ſepelirentur in ſanctioribus locis, vbi memoriæ Sanctorum Martyrum colerentur. Super qua con-

conſuetudine Paulinus Auguſtinum conſuluit; videbatur quippe illi inanis hæc fides, qua credebatur, iuuandas fore Defunctorum animas precibus Sanctorum, apud quorum reliquias haberent humata corpora; dum ſtatim ab obitu, vt inquit Apoſtolus, præſentari nos omnes opportet ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſquè prout geſsit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum, non autem pro vt iam egreſſis è corpore ſuffragata fuerint aliena Sanctorum merita. Pro cuius quæſtionis ſolutione, Sanctus Doctor libellum reſcripſit de cura gerēda pro mortuis, vbi ſapienter ediſſerit, quatenùs non ſit inanis hæc fides; habetquè hæc inter cætera. *Cum itaquè recolit animus, vbi ſepultum ſit chariſsimi corpus, & occurrit locus, nomine Martyris venerabilis, eidē Martyri animam dilectam commendat recordantis, & precantis affectus, qui cum defunctis à fidelibus chariſsimis exhibetur, eum prodeſſe non dubium eſt ijs, qui cum in corpore viuerēt,*

talia.

talia ſibi poſt hanc vitam prodeſſe, meruerunt. Hæc quoq; religio pijſsimo Ambroſij inſederat cordi, qui ſepeliens fratrem Sanctum, propterea iuxta eundẽ ſibi quoque ſepulturam meditatus dixit. *Et commendabiliorem Deo futurum me eſſe credam, quod ſupra Sancti corporis oſſa requieſcam.* Nec mutauit omnino ſentẽtiam, cum poſteà, inuentis & translatis in ſuam Ambroſianam Corporibus Sanctorum Geruaſij, & Prothaſij, apud hos ſe ſepeliendum optauit. Ex quo Baronius notat; *Quanti fecerit ipſe Sanctus Ambroſius, apud Sanctos Martyres ſepultura locari Chriſtianum hominem, ex eo poteris intelligere, quod ipſe etiam voluit ſepeliri in Ambroſiana à ſe erecta Baſilica, in quam tranſtulerat corpora Sanctorum Martyrum Geruaſij & Prothaſij.* Idem Sanctorum ſepulcri conſortium, quod ſibi affectauit, procul dubio exiſtimandus eſt curaſſe fratri, quem enixè, nec minùs quàm ſe ipſum diligebat. Supremum enim iſtud erat fraternum dilectionis obſe-

In obitu fratris:

Ad annum Chriſti 383. Art. 17.

obſequium, idque eum præſtitiſſe oſtendit exertè Tetraſticon, quod compoſuit pro Epitaphio, & inter eius carmina in nouiſsima impreſsione legitur huiuſmodi.

Vranio Satyro ſupremum frater honorem,
Martyris ad læuam, detulit Ambroſius.
Hæc meriti merces, vt ſacri ſãguinis humor
Finitimas penetrans abluat exuuias.

Et licet non ſignet nomine, ad cuius Martyris læuam ſepulturam dederit; quippè res per ſe manifeſta erat, illa ætate, in conſpectu Vrbis vniuerſæ geſta; conſeruabatur maiorum traditione huiuſmodi notitia, quod in Portiana, vbi Victoris Corpus, ibidem Satyri conditum erat; donec ſuperioris ſæculi anno ſeptuageſimo ſexto compertum eſt, non fuiſſe falſam hanc fidem, quando, Beatiſſimo Antiſtite Carolo Borromæo, inter cętera Sanctorũ Corpora vtrumquè compertum eſt, & Victoris, & Satyri in eadem arca, ille ad dexteram hic ad ſiniſtram, anti-

quiſsimis inſcriptionibus amborum nomina indicantibus.

Quæ Sãctorum corporum retectio locupletiſsimum teſtimonium adepta eſt, cum decimo ſeptimo poſt anno, nimirùm nonageſimo tertio ſuperioris ſæculi, opera Nicolai fabri eruditiſſimi Iuris Conſulti Pariſienſis, è tenebris erutum eſt opus Dungali Auctoris illuſtris, inſcriptum Ludouico Pio Imperatori, eiuſquè filio Lothario Auguſto, aduersùs Claudium Epiſcopũ Taurinenſem Iconomacum, anno ſalutis octingenteſimo, & vigeſimo. Huius beneficio literis conſignata remanſit res, ſua ætate luculenta, vtpotè ante tot bellorum, incendiorum, vaſtitatũ ac peſtilentiarum, ab Vrbe noſtra Mediolanenſi perpeſſa diſcrimina; vndè ſolent geſtarum rerum monumenta perire, & confundi; nempè Sanctum fratrem Ambroſij Satyrum ab ipſo cõtumulatum fuiſſe Martyri Victori. Ait namquè circa libri calcem, poſt relatam

In Magna Bibl. Veterum Patrum Tom. 4. Secunda partis.

Bár. ad ann. Chriſti 383. Art. 16.

tam

tam Auguſtini ſententiam de fidelium ſepultura iuxtà Sanctorum Corpora: *Idcirco vt arbitror Ambroſius ſuum fratrem Satyrum, quem nimium dilexerat, iuxtà S. MARTYREM VICTOREM ſepeliuit:* ſubditquè mox allatum Epitaphium. Certè auctor hic octo ſæculis anterior, á nobis corruptus non eſt, vt tueretur cauſam noſtram, & rem adeò aſſeueranter narraret, pro vt in facto cōperta eſt á Sancto Archiepiſcopo Carolo poſt annos ſeptingētos quinquagintaſex. Nequè noſtri ſupponere potuerunt bina ea Sanctorum Corpora in eadem arca lapidea, laminis plumbeis colligata, ſub Altari, eodem prorſus ſitu, pro vt tanto pridem dixerat Dungalus ignoratus. Exinde itaquè lux affulſit & tetraſtico, quod aiebat ad læuam quidem Martyris, ſed non cuius, ſepultus fuiſſet Satyrus, & Mombritio, qui ſcripſerat itidem Satyrum ab Ambroſio lachrymis irroratum in Ambroſiana, in alia longé Baſilica fuiſ-

ſe humatum ad lęuam Martyris in editione impreſſa, & Martyris Victoris in manuſcriptis á te proditis. Quis modo ambigat Satyri ſepulcrum eſſe idipſum Victoris Martyris Mauri? aut quis illius oſſa ſibi aſciſcat, qui iſtius nequeat oſtentare? Benè ſit Dungalo, qui etiam Aduerſario nobiſcum conuenire fecit in hoc, vt fateretur Scriptoris huius irrefragabili authoritate citata, non alium ſepulcrum fuiſſe Cõfeſſoris Satyri, quàm Martyris Victoris; & propterea hùc adegerit, vt ſi probare velit illum in Satyriano Sacello iacere ad Ambroſianam, etiam hunc ibidem condi coactus ſit dicere primus. Spretaq; aurea illa ſententia, quam ipſe collaudat num. 88. è Baſilio Magno in oratione de Ieiunio. *Omne quod vetuſtate pracedit venerabile eſt*, rem inauditam pronunciat, & quidem ſe ipſo teſte, admiratione dignam; dum ait: *Quod auditu mirum videtur*. *Mirum profectò, ſed non ita procul à vero*; & vbi
opus

opus eſſet palpabiles, euidenteſquè nimis rationes prætendere, obſcuriſſimis coniecturis inhærens, conatur prçter Sancti Antiſtitis Borromæi totiuſquè Cleri, Senatus, Populiquè Mediolanenſis oculatam fidem, venerandam quoquè temerare antiquitatem; quæ hiulco, vnoquè ore omnibus ſæculis proclamauit, & coluit Mauri Victoris Corpus in Portiana. Onerosum valde & ſuperfluum foret, recenſere omnium ætatum Auctores, qui hoc tradiderunt. Satis fuerit affirmare, quód nemo hactenùs in dubium verterit. De Diuo Satyro quidem nonnullis exiſtimatum eſt, extra Portianam illũ quieſcere, nimirùm in Ambroſiana; cũ nondum ex Dungalo compertum fuiſſet, & declaratum epitaphium antedictum, docens, illum aſſociatum Martyri Victori in ſepulcro; & hi procul dubio retractaſſent ſententiam, ſi ſuperſtites fuiſſent; quando tam antiqui Scriptoris res inclaruit teſtimonio; &

multò

multò magis poſtquam ad eiuſdem dictamen ita prorsùs retecta fuerũt ambo ea Sacrata Corpora, quemadmodũ retractauit Philippus Ferrarius, quod pridem ſcripſerat in Catalogo Sanctorum Italiæ iacere S. Satyri Corpus ad Ambroſianam. At verò de corpore S. Victoris Mauri profectò quis vnquám dubitauerit, ne dum negauerit, quieſcere in ſua Baſilica, ad Corpus propterea nuncupata?

Antiquiſſima huius militis Chriſti hiſtoria; quam ſcripſiſſe traditur Maximianus publicus Scriba, coeuus, & inde acceperunt Surius, Mombritius, Ripamontius, á Baſilica Petri, & reliqui de ipſo agentes, ita perhibet. *Tũc Maximianus Imperator iuſsit vocari Scurrones, & iuſsit, vt duceretur ad Syluulam, quæ ad Vlmum vocatur; vbi viridarium habebat Imperator, & ibi eum decollari*. Qui locus eſt, vbi in rei geſtæ monumentum cernitur hodie Ædicula conſtructa propè Eccleſiam Fratrum Capucinorum.

Nun-

Nunquid autem fuit ibidem tumulatus, vbi paſſus? Minimè, ſed non admodum procul. Sequitur enim hiſtoria: *Tunc iuſsit Imperator vt nemo ſepeliret corpus eius, vt à beſtijs deuoraretur: poſt dies ſex miſit Imperator Quæſtorem ſuum cum militibus, vt videret ſi iam à beſtijs, aut à ſerpentibus deuoratum fuiſſet: & euntes inuenerunt corpus eius intactum, & in nulla parte contaminatū, & duas beſtias, vnam ad caput, & aliam ad pedes cuſtodientes corpus Sancti Victoris. Et reuertentes renunciauerunt Imperatori. Tunc iuſsit Maximianus Imperator, vt ſepeliretur corpus eius. Abijt Sanctus & Beatiſsimus vir Maternus Epiſcopus, & ita inuenit duas beſtias, vnam ad caput, & aliam ad pedes, cuſtodientes corpus eius, & ipſum quaſi eadem hora fuiſſet decollatus. At vbi viderunt Sanctum Maternum Epiſcopum dederunt locum, & tamdiù ibi ſteterunt, quandiù leuatum eſt corpus eius. Quod corpus Sanctum linteaminibus inuoluentes perduxerunt NON LONGE ab ipſa Sylua, & ſepultus eſt in pace.* Itaquè ſepultus fuit non longè à loco

 Mar-

Martyrij; à quo licet minus diſtet Eccleſia Fratrum Capucinorum, quàm Portiana, in ea tamen ſepultus nõ fuit; nequè enim aliquis vnquam id credidit, quippè nondum erat extructa; ſed in iſta, quæ idcirco decurſu temporis appellata eſt S. Victoris ad Corpus, vt diſtingueretur à pluribus eidem Martyri intitulatis Templis: ſicut Ripamontius inter cęteros refert: *Illa deniq; reliquiæ in Portianam translatæ Baſilicam, Victoris nomen ſuperindidere; diciturquè hodiè Baſilica Diui Victoris ad Corpus, diſcriminis cauſa, propter cognomines alias; quæ Mediolani diuerſis poſtea temporibus ædificatæ fuerunt. Martyris huius initia, & exitum, pro vt explicauimus, Scriba publicus Maximianus nomine, literis conſignauit.*

Cum autem hic per NON LONGE à Sylua Martyrij Victoriani, intelligatur á cunctis Scriptoribus Portiana: illuſtratur quod in ſuperioribus diximus, intellexiſſe eandem Mombritium per NON LONGE ab Ambro-

ſiana

ſiana (ſi modò ita ſcripſerit, & non potiùs LONGE) cum de ſepultura Satyri loqueretur; ſiquidem par vtraquè eſt diſtantia. Quod ipſum fateri cogitur Aduerſarij verſatile ingenium in exagitanda veritate; nam cum priùs improbaret, per NON LONGE intelligendam diſtantiam Portianæ ab Ambroſiana, modo per eadem verba non incongruum cenſet, ſignificari diſtantiam parē Sacelli Satyriani (quod exiſtimat Polyandrum Philippi) á loco Martyrij S. Victoris, qui duplo diſtat, dum ait, *Tametſi non incommodè potuiſſet ad propinquum in horto Philippi Polyandrum deferri*. Num. 19.

Sed quid ais ad illam immutationē nominis Portianæ in Sancti Victoris ad Corpus? vnde ſumpſit originem? Vtiquè ab aliqua re vulgata,& dubitationis experte. Inquis: *Niſi fortè illam ſic appellauerint ex eo potiùs miraculo, quo corpus ipſum per ſenos illos dies in eo tractu fuerat à beſtijs cuſtoditum: atquè adeò ad eum fermè*

modum quo binas adhuc extantes appellarunt vnam Sancti Victoris ad Vlmum; alteram verò ad Theatrum. At denominationẽ hanc quæ à beſtijs deducitur quis non videat eſſe irrationabilem? Quid Baſilicæ Portianæ cum beſtiarum, cuſtodientium Corpus Victoris, miraculo, quod accidit procul ducentis paſſibus? Si res huiuſmodi digna erat alicuius denominatione Eccleſiæ, quorſum illã transferre ad Portianam diſtantem, cũ decuerit indidiſſe ipſi Ædiculæ, in ipſo met loco extanti? Præterea, denominata fuit Eccleſia ad Theatrum, vbi Victor à Satellitibus inuentus eſt; ad Vlmum, vbi decollatus; ad Cęlum aureum, vbi pictus eſt in aurato fornice; ad Portianam, vbi cuſtoditus á belluis: & vbi quám maximè colendæ erant eius reliquiæ ad ſepulcrum non ſtatuitur Eccleſia? Sin autem ſtatuitur, quę alia eſt, niſi ipſa, quę S. Victoris ad Corpus vocitatur?

Quia verò futilibus, & inſubſiſtentibus

tibus

tibus argumentis hactenùs deductis nihil te conſequturum agnoſcebas, das tandem vltrò, quod non potes eripere, nempe S. Victorem ſepultum fuiſſe in Portiana, ipſamquè ab eius corpore poſteà denominatam fuiſſe. Scribis enim: *Dabimus in primis Victorem tūc ad Baſilicam Portianam ſepultum fuiſſe, &c. Quin etiam lubenter eandem Baſilicam concedemus appellatam propterea fuiſſe poſtmodum Sancti Victoris ad Corpus.* At ſi vtrumquè conceſſurus eras, vt quid vtrumquè pariter in dubium adeò leuiter reuocaſti; primum quidem, eò quod potuerit S. Martyr ſepeliri in Polyandro Philippi; alterum verò, quod ex miraculo corporis cuſtoditi à beſtijs ſic Portiana potuerit nomen mutaſſe? Niſi quia hæc ſcripſiſti, putans te aſſequturum congerie infirmarum rationum, quod nulla valida dabatur euincere? *Num. 19.*

Deo ſint gratiæ; iam per te habemus in Portiana Corpus S. Victoris Mauri ſepultum; habemus etiam Sancti Sa-

tyri; ſiquidem hunc in eodem illius ſepulcro conditum non inficiaris, dicens: *Sed quis item attento tàm Epitaphio ipſo, quàm exemplo illo ac ſimili* (de hominis cadauere proiecto à latrunculis in ſepulcrum Eliſæi) *per Dungalum adiecto, dubius hæreat, quin Satyrus in eadem prorſus Victoris arca conditus fuerit? Cuius propterea Satyri exuuiæ, Victori finitimæ ac propinquæ potuerint eiuſdem ſanguine penetrari, & adlui.* Et infrà. *Quod tamen adhuc & oſtendimus, & pro certò ſuppoſuimus Satyrum in ipſo met Sancti Victoris Mauri ſepulcro conditum fuiſſe, amboſquè ſimul in eadem Eccleſia conquieſcere, hoc aliquibus profectò Scriptoribus incompertum penitùs & ignoratum fuit; qui proinde Satyri Corpus huic eius Eccleſiæ, Victoris verò alteri eius ad corpus appellatæ adiudicarunt*. Tamen Victoris corpus nulli adiudicarunt Satyriano Sacello; vnde ergò Ambroſianis ratio vindicandi ſibi ſolum Satyri corpus, quod appoſitum fuiſſe conſtat Victori in Portiana quieſcenti? Ratio omnis reducitur ad fi-

dem,

dem, & traditionem Monachorum: *Iſtud profectò Monachi huius Monaſterij iamdudum crediderunt, quin etiam è maiorum traditione conſtanter adhuc credunt*. Num.19. Atquì ſi huiuſmodi fides, & traditio eſſet authentica, rectequè ducta ab ipſa origine, ex veritate facti tunc manifeſta, multo magis crediſſent & traditum eiſdem fuiſſet à Maioribus, prius ibidē condi etiam Corpus Sancti Victoris, Satyro antiquioris & illuſtrioris, iuxtà Philoſophorum axioma: Propter quod vnum quodquè tale, & illud magis. Etenim ſi eò loci ſepultus fuit Satyrus, vtiquè fuit propter Victorem: nihilominùs de hoc nullam habuerunt traditionem Monachi iſti, vt bene ais: *Quamobrem infrà etiam videbimus inter ipſos, & Sancti Victoris ad Corpus Monachos, controuerſiam de ſolo Sancti Satyri corpore fuiſſe, quod illi ambo ſibi vendicarent, quouè Ambroſiani ſolo contenti viderentur*. Et certè de Sancto Victore tradi-

tio

tio debuiſſet eſſe celebrior, quippè eius tumulus diù miraculis egregijs extitit famigerabilis,etiam longinquis peregrinis, nedum indigenis, vt videbimus infrà. Non proceſſit igitur huiuſmodi traditio, vt par erat à Maioribus primæuis, qui ſepulturæ Satyri interfuerunt; non enim ſiluiſſent de Victore ſepulcri domino, ſolum colēdum ibi tradentes Satyrum inquilinū, ſed fuit poſterioribus ſæculis ſubnata opinio cogitantium ibi quoquè ſcilicet in Ambroſiana, iacere ſatyrum, vbi frater, & ſoror, Ambroſius, & Marcellina iacere perhibentur; nec penitus rem diſcutientes, ſucceſſores Ambroſianos dumtaxat ad noſtram vſq; ætatem ſic imbiberunt. Ciuitatis reliquę, & noſtra, recta veraquè fuit traditio: quæ ſimul & Victorem, & collateralem Satyrum docuit in Portiana ab initio humatos fuiſſe, & perſeueraſſe: quemadmodum tandem comprobauit

vete-

veteris ſcriptoris Dungali eruti è tenebris, teſtimonium, & ipſa retecta arca, eò gemino Sacro fœtu prægnans.

Sufficiat iam obtinuiſſe ab Aduerſario ratum, & inconcuſſum, quod Diuus Satyrus ſepultus fuerit in eodem loculo iuxtà Sanctum Martyrem Victorem Maurum; & quod hic, non alibi quàm in Portiana, ſit primò traditus ſepulturæ.

FAX

FAX SEXTA.

Abigens tenebras falsò aſſertæ translationis corporis Sancti Victoris è Portiana in Ambroſianam.

EXiſtimaret Lector, è ſuperiori concluſione litem omnem eſſe dirēptam: pararet veritati triumphum canere: ſed error lubricus ſerpens conatur elabi, tenebroſam aliam cauernam ingreditur; cui facem hanc admouere oportet. Faſſus itaquè eſt *A*duerſarius, Satyri corpus conſepultum fuiſſe Victori; & hunc in Portiana primo depoſitũ: enimuerò ibi diu non ſtetiſſe, ait: ſed antequã Satyrus moreretur, aliò fuiſſe translatum, nempè in hoc ſuum Satyrianum

rianum Sacellum , vbi poſtea ſocius tumuli adiunctus illi fuit Satyrus ab Ambroſio, & vſquè ad hanc diem ambo ea Sacra Corpora ibidem perſeuerant . Sic enim ſcribit : *Atqui ſi vera ſunt, quæ nos paulò antè cæteroqui diſſerimus* (hoc opus,hic labor eſt,ſuſtinere quod vera ſint, quæ adeò patenter confutauimus) *reliquum profectò iam erit , vt ipſius corpus non ibidem perſeuerauerit vſquè ad Satyri obitum , ſed ante fuerit inde huc translatũ.* Et infra. *Quid prætereà ſi fortè potiùs Arianorum timore Ambroſius illud, (& ſi benè iam humanitus cognitum, vbi nam iaceret) ab ipſamet Portiana Baſilica tranſtulit ad iſtam, quæ deinde Sancti Victoris ad Cælum aureum dicta fuit vt nos antè iam ſuſpicabamur?* At ego: quid ſi non tranſtulerit, vt iam oſtendit, non ſuſpicio, ſed ipſa vera amborum illorum Corporum inuentio? Ergòne præualebunt tuæ meræ ſuſpiciones (ſic enim ipſe appellas rationes; quaſcunquè attuleras , *ſed hæc mera ſint coniectamenta, & ſuſpiciones, quemadmodum*

Victoris corpus inde non ſine cauſa huc transferri potuerit) ipſi ſenſuum certitudini; qua conſpecta, & contrectata ſunt ea Sacra Corpora in Portiana à Sanctiſſimo Archiepiſcopo Carolo, corã vniuerſa Ciuitate, ſicut probatiores Authores ſcripſerunt, & communis ferebat traditio, ac fides? I ſequere ſuſpiciones, & coniectamenta aduerſùs ocularem inſpectionem Sanctarum reliquiarum, & poſſidebis in tua Baſilica quaſcunquè volueris. Fallerer ſi vſpiã ſita demonſtrarentur alia Sanctorum Corpora ſic manifeſtè, vt ſunt Victoris, & Satyri in Portiana, quæquè minùs contradictionis pati queant. Nec, arbitror, prudens Lector aliam poſceret confutationem iſtius translationis, ſolis ſuſpitionibus nixæ, contrà inſpectã rei veritatem.

Placet nihilominùs ad illuſtriorem argumenti tractationem ingenium exercere in examinanda huiuſmodi trãslationis falſitate. Tradiderat aliã trãslatio-

lationem corporis S. Victoris, factam per Diuum Ambroſium è loco martyrij ad Portianam, Bonauentura Caſtellionæus in Vita S. Caſtritiani ſcribens, ſed Italicè. *Inuento per reuelationem Corpore Sancti Victoris Martyris, quod condiderat Maternus Epiſcopus, & delituerat à Maximiani vſquè ad Theodoſij Imperatoris tempora, in loco vbi nunc dicitur S. Victorellus, elatum proprijs manibus repoſuit in arca lapidea in Baſilica Portiana ſub ara Maxima; atquè in memoriam quod eæ Sacræ exuuiæ fuiſſent repertæ in medio Syluoſi agri, in officijs Eccleſiaſticis, compoſitis per eundem Patriarcham in honorem ipſius Martyris, canitur dictum propheticum: Inuenimus eum in campis Syluæ, adorauimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius, Alleluiah, Alleluiah, Alleluiah.* Quibus auditis, ſtatim inſurgis, & hanc velut apocripham hiſtoriam explodis. Quo argumento? Iſtiuſmodi; *nec enim alius quiſpiam, quod nos adhuc ſciamus, hoc tradidit.* Optimè quidem; nam de re tàm inſigni inueriſimile eſt Auctorū eius ætatis

tis ſilentium; & qui narrat geſta antè ſe multis ſæculis, non meretur fidem, niſi de cauſa ſcientiæ tradat, & vndè acceperit. Mea nihil intereſt fuerit, non fuerit, facta iſta translatio, quippè in Portiana ſtatuit reliquias S. Victoris, vnde nec approbo, nec improbo. Tantùm de te ſumpto gladio tuum iugulum peto; & argumentor. Translatio S. Corporis eſt improbabilis, quã vnicus recens Scriptor enarrat; at tu vnicus, & recentiſſimus narras, quin potiùs coniectaris, translationem S. Victoris è ſepulcro Portiano in Ambroſianum, ergò hæc translatio eſt improbabilis.

Superaddo: Reſpuis tu translationem Victoris, factam ab Ambroſio, palàm & per Cælicam reuelationem, quæ eſſet illi perhonorifica, nec inſolita; quippè aſſuetus erat his Sanctus Præſul, cui reuelata fuerunt Mediolani corpora SS. Geruaſij, & Prothaſij; Nazarij, & Celſi, ac Bononię Vitalis

& *A*gri-

& Agricolæ: & pius Lector credet tibi translationem clandeſtinam, eidem Ambroſio tàm indecòram, & turpem? Sanè meticuloſum, puſillanimem, Deo non fidentem facis S. *A*ntiſtitem, dum metu hoſtium ſubduxiſſet è Baſilica obſeſſa Sacras Reliquias; inſuper mendacem, doloſum, & impoſtorem; dũ, quò *A*rianis imponeret, loco veri corporis Victoriani aliud ſuppoſuiſſet, vt inquis: *Quid ſi tunc ergo inter ſpem, & metum, ipſinè ad extremum, an Ariani præualerent, latenter, inſcijſq; ijſdem Arianis, inde ſuſtulerunt tanti Martyris Corpus; & in alteram iſtam Eccleſiam, quæ tunc extra periculum eiuſmodi eſſet, tranſtulerunt? Quid ſi etiam in eius ibi locum ſubſtituerunt alterius Sancti, ſed non ita celebris, Corpus: ne furtum aliquandò illi deprehenderent, ſi fortè fortuna per vim præualuiſſent?* Porrò ſi nota vlla Ambroſio immeritò inuritur, ea eſt vecordiæ, & puſillanimitatis. Trepidet timore; vbi non fuit timor, firmiſſimum illud Catholicæ fidei propugna-

Num. 19.

pugna-

pugnaculum, cuius potiſſima laus inconcuſſæ fuit fortitudinis? Sané ſi Sanctis ſingulis ſingulas gratiarum diuiſiones Deus attribuit, nec minùs, quám Iacob, diues in benedictionibus, benedixit filijs ſuis benedictionibus proprijs, ita vt vnuſquiſque proprium ab illo retulerit donum, alius quidem ſic, alius verò ſic, poſſetq. iure merito Eccleſia canere de vnoquoqué, non eſt inuentus ſimilis illi, videlicet in aliqua ſpeciali virrute, qua cæteros antecellat: Ambroſius ſupereminet conſtantia, & fortitudine; qui vt manſuetis pauperibus fuit melleus, ita malleus fuit ſuperbis, & improbis Poteſtatibus contundendis. Ambroſius fundatus ſupra firmam petram á verbis impiorum timeat? Ambroſius? Nonné ipſe eſt, qui acerrima libertate Imperatores vſq; cohibuit, ijſdem máximé metuendus? Quis vnquam impauidum illud pectus perterrefecit, aliùs, quam diuini timoris ignarum? Ergò deleat

Augu-

Auguſtinus, quod de illo ſcripſit Elogium: *Beatum loquor Ambroſium, cuius pro catholica fide gratiam, conſtantiam, labores pericula, ſiuè operibus, ſiuè ſermonibus, & ipſe ſum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus:* Nequicquam ergò de eodem prædicauit Ruffinus ex Calcho: *Non ſolùm Eccleſiæ Mediolanenſis, ſed & omnium aliarum columna quædam, & turris ineſpugnabilis, qui in conſpectu perſecutorum Regum non expauit veram tueri Religionem.* Quicunqué meticuloſum Ambroſium dixerit, dignus eſt, qui maſtige vapulet, quo ille pingitur adhuc armatus. At inquies prudentiæ eſt (cuius laus non minùs, quàm fortitudinis debetur Ambroſio) á periculis imminentibus metuere. Nequaquam. Habitabat ille in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabatur, dicebat Domino, ſuſceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus ſperabo in eum. Dum obſiderentur Catholici in Baſilica, ſiderentq.

Lib. 1. contra Iulianum Pelag.

Lib. 3. Hiſt. Patriæ.

rentq. in repagulis oſtionum: accidit vt fores (neſcio qua incuria) reſeratæ relictæ, impulſæ, & patefactæ ſint á quodam cæco, qui palpando domus propriæ ianuam quæritabat. Expauit multitudo incluſa ad aperitionem portarum: ex quo S. Paſtor occaſionem ſumpſit arguendi vanam ipſorum fiduciam in humana cuſtodia; & erigendi animos eorundem ad ſpem in diuina protectione, in qua debuerant ſecuri quieſcere. Lege Sermonem in Auxentium, de Baſilicis non tradendis. *Seruum Chriſti*, inquit, *non cuſtodia corporalis ſed Domini prouidentia ſepire conſueuit. Turbati eſtis, quia apertas reperiſtis geminas fores, quas captus oculis quidam, dum hoſpitium proprium repetit, patefeciſſe memoratur. In quo cognoſcite, quod nihil ſuffragetur humana cuſtodia. Ecce vnus, qui videndi munus amiſit, ſoluit vniuerſa veſtra munima, & cuſtodias luſit; Dominus autem ſuæ miſericordiæ cuſtodiam non amiſit*. Talibus hortabatur ſuos ad non timendum, neq. in

huma-

humana, ſed in Diuina cuſtodia certiſſima ſpem locandum. Pergit enim ex euentu, exemploq; conſimili Eliſæi ſecuto, eos confirmare, dicens: *Nonnè ante biduum, vt meminiſtis etiam illud repertum eſt, quod à parte læua Baſilicæ ingreſſus quidam peruius fuit, quem putabatis clauſum eſſe atq; munitum? Sepſerunt nempè armati Baſilicam, explorabant hos atq; illos aditus; cæcitate perfuſi ſunt, vt quod apertum erat videre non poſſent*. De ſe namq; ait: *Ego enim didici non timere*. Veruntamen adhortationes ſuas infirmaſſet exemplo, dum viſus eſſet, propter metum expugnandæ Baſilicæ, iam Sacras Reliquias ſubducere: quod clam nequibat perficere, tùm quia multorum opera ad id vti deberet, tùm ob ſonitum, ſtrepitumquè demoliendi Altare, ac eruendi marmoreas Arcas. Obtendiſſent; quorſum laborare in aſportandis Sacris pignoribus, dum in Diuina protectione ſecuros quieſcere iubes?

Vlteriùs, timuiſſet Ambroſius, ne

Baſilica expugnaretur; num idcircò emittere ab ea debebat Sancti Martyris Corpus? Nil minùs. Quinimò dum alibi iacuiſſet, huc debuiſſet illud inferre ad præſidium. Ipſis quoquè Ethnicis religioſum extitit in magnis diſcriminibus ſacra ſua complecti. Sic Æneas, Troia migrans, Anchiſe commendat, quos ſecum auferat Penates

2. Æneid. *Tu Genitor cape Sacra manu, patrioſque Penates.*

Quando obſeſſis ab hoſte timetur arcibus, emittuntur quidem pueri, ſenes, fœminæ, & reliquum vulgus imbelle: ne conſumat annonam, ſed inferuntur ſtrenui milites defenſores. Obſidebatur Ambroſius cum ſuis in Portiana: nunquid verebatur, ne Sacra Martyrum Corpora fruges inſumerent, vel Baſilicam proderent hoſtibus, vt ea ablegaret? Sancti Martyres ipſiſſimi erant milites: quos propugnatores ſibi aſciſcebat Ambroſius: igitur apud ſe in periculis erant retinendi,

non

non aliò tranſmittendi. Si alibi extitiſſet Corpus tanti militis Victoris Mauri, inferendum erat in oppugnatę, & periclitantis Portianæ præſidium, Audias ipſum Doctorem Sanctum, quibus militibus glorietur, ſe de hoſtium inſidjs triumphaſſe, quibus ſua bella commiſerit: ſcribit enim: *Gratias tibi Domine Ieſu Chriſte, quod hoc tempore tales nobis SS. Martyrum ſpiritus excitaſti* (loquitur de Geruaſio, & Prothaſio recenter ſibi inuentis, feruente perſecutione Iuſtinæ) *quo Eccleſia tua præſidia maiora deſiderat. Cognoſcant omnes quales ego propugnatores requiram, qui propugnare poſsint, & impugnare non ſoleant: tales ego ambio defenſores, TALES MILITES habeo, hoc eſt non ſæculi milites, ſed milites Chriſti*. Peſſimum ergò illi fuiſſet conſilium cum obſeſſus in Portiana maximè indigebant præſidio militum defenſantium, emittere ab ea Corpus S. Victoris, quod erat ipſi, vt Palladiũ Troiæ. Epiſt. 54 ad Soror.

Aderant in eadem Baſilica Portiana

plura alia SS. Corpora; inter cætera Epiſcoporum Mirocletis, & Prothaſij, cur etiam iſta non ſuſtulit Ambroſius, quando abſtulit Victorem, veritus ne locus in hoſtium poteſtatem veniret? Si conſuluit Corpori Martyris, ne Arianis victoribus foret ludibrio: multò magìs conſulendum erat Prædeceſſoribus ſuis Epiſcopis; vtpotè quos minûs reuererentur Ariani, quám Martyres. Pro eorum hæreditate tuenda pugnabat Beatus Antiſtes, cum Baſilicam importunè petentibus reſpondit: *Abſit à me, vt tradam hæreditatem Patrum meorum, hæreditatem Mirocletis &c.* Qui talem gerebat ſollecitudinem pro hæreditate, multò ſollicitior fuiſſet de ſeruandis ab hoſtilibus iniurijs oſſibus Patris, ſi timuiſſet aliquid huiuſmodi: ſed non de hac re certabant Ariani; lis omnis ijs erat cum Catholicis ſuper Diuini filij conſubſtantialitate, nec vſpiam reperiri illos in SS. Corpora defunctorum ſeuijſſe. Si eorum hæreſis fuiſſet,

Serm. de Baſil. non tradendis.

qualis

qualis Vuicleſiſtarum, Lutheranorum, Caluiniſtarum, & aliorum noſtrę ætatis, meritò timendum fuiſſet, ne Sanctorum ſepulcra ſuffoderent, oſſa eruerent crematuri. Exagitarunt quidem, mulcta, exilio, morte, omnibuſq; vijs fideles viuos, vt inquit Vincentius Lirinenſis à Prateolo allatus: *Tunc ſiquidem non ſolum parua res, ſed etiam maxima labefactata ſunt; nec enim tantùm affinitates, cognationes, amicitiæ, Domus, verum etiam Vrbes, Populi, Prouinciæ, nationes, vniuerſum poſtremò Romanum Imperium funditùs concuſſum, & emotum eſt.* Nihilominùs in tanta rerum vexatione defunctis fuit requies. Denique egrè poterat Ambroſius, circumuallatus hoſtibus, educere Corpus Martyris de obſeſſa Baſilica in tutiorem locum occultandum. Obſeruabant introitum, & exitum hoſtes; audiuiſſent ſonitum diruentium Altare cum ſepulcro, qui poterat aliquid indè aſportari ſecreto? Locus omnis æquè erat fidelibus tunc malè

Bar. ad Ann. 370. Ar. 29. Gabriel Prat. de vita & morib. haret. lib. 1. Niceſ. Caliſt. Hiſt. Eccl. lib. 8. c. 5. 6. 7. 8.

tutus,

tutus, vt proſequitur Ripamontius: *Quomodo enim ferre in Auguſtum arma poſſent Ciuium infirmiſsimi, aut quem ſibi locum caperent, cum nullus angulus vocaret hoſtium dominatu, aut cur non ſtatim victi ſunt, quos ipſa rerum iniquitas debellabat? Sanè fiducia diuini præſidij & veluti præſens numen impauidos animos ad certamen daret, nequè ſineret reputare, quæ bella geſturis in ſpem, aut metum occurrunt.* Conſultiùs ergò condita relinquenda erant SS. Corpora in loco vbi deliteſcebant hoſtibus ignota, & inquæſita, quàm eadem eruere, & circumferendo exponere periculo.

Hiſt. Med. Decad. 1. lib. 4.

Tranſeo iam ad labem aliam mendacij, & fictionis, qua inficis Ambroſium; dum ais ab ipſo ſuppoſitum aliud Corpus pro Victore, in loco, & ſub eius titulo. Nunquid parum hoc tibi videtur, tanti viri candorem huiuſmodi tingere atramento? Venerabilis ille Eleazarus Machabæus, vel pro euadenda morte renuit comedere carnes, in quorum eſu nullum crimen erat, ſibi appo-

ſitas

ſitas à commiſerantibus amici ſænis ſupplicium; idquè, quia canitiei ſuæ indecens reputauit fingere in aliorum ſcandalum; & Ambroſius inferioris fuerit grauitatis, ac circunſpectionis, vt citra ſimile periculum vellet decipere? ab illo ſumpſiſſet exemplum, de quo ait ſacer textus. *At ille cogitare cæpit ætatis, ac ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atq; à puero optimè conuerſationis actus: Non enim ætati noſtræ dignum eſt, inquit fingere, vt multi adoleſcentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum; & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atquè execrationem meæ ſenectuti conquiram.* Non abſimili modò exiſtimo illum reſponſurum fuiſſe ſuadentibus auferre de Portiana corpus S. Victoris, & pro illo ſupponere aliud cum falſa inſcriptione; non enim ætati ac dignitati meæ conuenit fingere, vt ſcandalizentur

2. *Macab. cap. 6.*

Aria-

Ariani, ſi rem deprehenderint,& blaſphemetur nomen Dei ab hoſtibus, qui ſatis nimium obſeruant in nobis, quod queant carpere. Non ſunt facienda mala, vt veniant bona; non indiget Deus noſtro mendatio; vt non niſi per illud valeat ſeruare Sanctorum ſuorum Corpora ab illuſoribus, noſquè, & Baſilicas noſtras tueri incolumes. Quod enim nec Deo ratum, nec Sanctis tolerabile ſit, vt ipſorum exuuiæ vbi non ſunt, adorentur, potes ediſcere, vel ex eo quod probati Authores de D. Thoma Aquinate, & alijs, ſcripſerunt. Deceſſerat ille, vt notum eſt, apud Ciſtercienſes Monachos Foſſæ nouæ: Cœnobij Abbas veritus, ne ſibi diù licuiſſet theſauro Corporis eius frui, ſiuè quod ab aperta Fratrum ſui Ordinis vi, ſiue quod á furtiua aliorum ſubductione pertimeſceret, ſtatuit è priori ſepulchro erutum, latenter alibi collocare. Exteris igitur in partem laboris accitis, nil enim ſuis fidebat, intempeſ-

F. Ferdinande Hiſt. Dominic. p. p. lib. 2. c. 38. & parte 2. lib. 2. cap. 22

tempeſta nocte exhumat,adductumq; in Sacellum,cui à D.Stephano nomen, alia ex parte Monaſterio conterminũ, profundè abſcondit. Egrè tulit S.Doctor clandeſtinam translationem; ita vt paucis poſt diebus oſtendens ſe in viſu Cœnobrarchæ, acriter cum eo expoſtulauerit, demonſtrans, quám indignum eſſet,ad inane Cenotaphium conſidere Fideles, qui eius Reliquijs obſequium,ac venerationem præſtituri iàm tùm confluebant; illis intereá abſquè vllo honore latentibus. Perterrefactus Abbas, de ſacro pignore in locum ſuum reſtituendo ſeriò cogitauit, quod & perfecit. Accidit hoc à Diui morte ſeptimo circiter menſe, cum nec dum in Diuorum albo eſſet deſcriptus, & tamen eam populi non eſt paſſus impoſturam. Quantò iuſtiùs vapulaſſet *Ambroſius*; ſi tantus Epiſcopus, tanti Martyris oſſa, tanto fidelium cultu in ſua Baſilica celebrati, in aliam omninò Eccleſiam, nunquàm

reſtituenda, delusâ per tot conſequentia ſæcula poſterorum pietate, aſportaſſet? Mendacium ſanè fuiſſet viſu, verbo, & opere, exhibere corpus aliquod pro eo, quod non erat, cum falſiloqua inſcriptione, ad decipiendum non modò *Arianos*, ſed etiam Catholicos, qui exindè in præſens ſemper venerati ſunt nobiſcum reliquias S. Victoris ad illum tumulum in Portiana. Mendacium quidem, ac magis perniciosum, & execrabile, ſi illud corpus ſuppoſitum fuiſſet prophanum, adorandum non Sanctum; ſin verò, vt ſcribis, *Corpus ſubſtituerunt alterius Sancti, ſed non ita celebris*, id non vacaſſet culpa ſaltem officioſi mendacij.

At vndè ſtatim paratum habuerunt ad manus ſubſtituendum corpus alterius Sancti, qui obſidione premebantur? Vnde acceperunt illud ſuccedaneum? Ex ijs, dices, arripuerunt, quibus diues erat eadem Baſilica. Infirma eſt reſponſio; quia hoſtes decipiendi,

di, vel cognouerant, & benè recenſita habebant SS. Corpora, quotquot in illa Eccleſia quieſcebant, vel non; ſi cognouerant, aſtus Ambroſianus nil proderat, quippè deprehendiſſent illi nihilominùs, deficere ex numero Sanctorum Corpus vnum, apparuiſſetq, vacuus locus aſportati in ſedem Victoris; ideoque turbas excitaſſent; contendiſſent illud reponendum: ſin autem nō cognouerant, nec recenſuerant Corpora Sanctorum ibi quieſcentia, nequibant animaduertere defectum Victoris ablati, ac proinde nil opus erat aliud mendaciter ſubſtituere. At, ais, Corpus Martyris erat inter cætera pretioſiſſimum, vnum maximè expetitum, & cognitum, propter crebra miracula ad eius tumulum. Fuerit ita: Cum reliqua SS. Corpora ibi condita carerent inſcriptione, vel Ariani nouerant ſolum Victorianum ſignari nomine, vel non: ſi nouerant; vtriquè quia introſpexerant olim; & ſic non poterant falli ex noua inſcrip-

tione appoſita per Ambroſium; obſeruaſſent enim non eſſe eandem quã priùs viderant, ſed mutatam cum literis V.& T. ordine retrogrado, *Vt*, verba tua ſunt, *ſuppoſititium illud Corpus à vero alibi natiuoquè Catholici diſcernerent; non ſic autem Ariani ſi fortè fortuna preualuiſſent*; præter indicium recentis ſtructurę altaris ſuper reliquias reædificati. Sin autem ignorabant, Victorem ſolum habere nominis inſcriptionem, ſuperuacuum erat mentiri, addita illa Epigraphe, cum poſſent illum ita innominatum relinquere, ſicut Sancti alij manebant ibidem; & ſi mentiendum erat, ſatiùs reſeruaſſent mendacium ad tempus quæſtionis, quando iniuſtè ab eis quæſito quid nam actum eſſet de Corpore S. Victoris, ipſi licitè poterant mentiri tantum materialiter, reſpondendo cum amphibologia, ſe ignorare; nequé enim tenebantur rationem reddere de ſubductis rebus proprijs. Vndè nequè furtum vllum patraſſent, illud Corpus ſacrum aſportantes, quo poſſent damnari,

ille

ille enim dicitur reus furti, qui rem alienam domino inuito contrectat.

Supereſt quid curioſiùs explicandum. Iam, vt ais, Ambroſiani *latentèr inſcijſquè Arianis, inde ſuſtulerunt tanti Martyris Corpus, & in alteram iſtam Eccleſiam, quæ tunc extra periculum eiuſmodi eſſet, tranſtulerunt, & in eius locum ibi ſubſtituerunt alterius Sancti, ſed non ita celebris, corpus, ne furtum illi aliquando deprehenderent.* Rectè omnia. Sed quarè adiunxerunt Victoris ad læuam illud aliud corpus inſcriptum nomine Satyri, quod inuentum eſt cum eo, quando facta eſt ſepulcri inſpectio, & reliquiarum translatio per Diuum Carolum? Quæro dum Ambroſius auferret Victorem, vel hic ſolus erat in tumulo vel cum ſocio; ſi ſolus, pariter ſolum aliud corpus fuerat ſubſtituendum, quo nullum mutationis præberetur indicium. Sin autem erat cum ſocio, is non erat Satyrus adhuc viuens; quippè ſcribis: *Quod ſi verò illud inde Catholici huc tranſtulerunt, anno circiter*

Num. 19. *citer antè quàm Satyrus moreretur? Hic ſiquidem vti nos concludebamus mortuus eſt Trecenteſimi octuageſimi ſeptimi à Chriſto anni menſe Septembri.* Si ſocius erat alius à Satyro, talis erat relinquendus, vel ſine eiuſmodi nomine alius ſubſtituendus. Fingamus caſum, qui timebatur præualent Ariani, potiuntur Baſilica; luſtrant vniuerſam; ſepulcra violant; ecce apparent in arca vna corpora bina, legunt titulos ſuppoſitos capitibus, inciſos lateribus, alterum perhibetur S. Victoris, alterum S. Satyri. Tunc qui riſus qui ioci, quæ ſannæ in noſtros? Satyrus viuus perambulat plateam, & iam deſcriptus eſt Sanctus in ſepulcro. Non ergo Ambroſius tunc temporis ibi fratrem condidit Satyrum, neque falſum repoſuit, qui ibidem inuentus eſt, Victorem. Sed Victori vero, iampridem humato ibi á Materno, verum adiunxit Satyrum, cum occubuit.

Reliquum eſt, vt comminiſcaris, ab Ambroſio quidem ſolum Victorem fictitium

titium repoſitum fuiſſe in Portiana pro vero translato inde ad Ambroſianam; aliud verò corpus cum falſa inſcriptione Satyri fuiſſe adiunctum poſterioribus temporibus, ad authenticandum illum Pſeudouictorem. Itaquè ad tuendum tuum commentum non ſatìs eſt inſimulaſſe mendacij Ambroſium; ſed inſuper oportet, vt quęras alios neſcis quos conſimilis criminis reos, auctores alterius doli, quo coleretur pro Diuo Satyro prophani hominis cadauer.

Nobis autem leuius erit culpam mendacij adſcribere tibi vni, quám tot viris, & inter eos tanto Antiſtiti Ambroſio; quaſi facultas eſſet cuiquè ſcrutandi ſacra Defunctorum ſepulcra: nec lege Imperiali cautum eſſet, *Vt humatũ corpus nemo ad alterum locum transferat, nemo Martyrem diſtrahat, nemo mercetur*: aut perfacile, & nullius negotij eſſet, à quouis clanculum perficiendi, eruiſſe prægrandem illam arcam marmoream, plumbo

Theodoſ. de Sepulc. viol.

plumbo conſolidatam ſub alia itidem arca, ambaſquè infrà ſuperſtructum altare: ac dolo concinnato rem omnem rursûs ſilenter componere: quaſi in ipſorum SS. Corporum inuentione diligenter conſiderati non fuerint Characteres, & lapides lateritij inſcriptionum, & notati in publico documento præferre *ſignum maximæ antiquitatis*.

Poſtremò: priſca illa ætate, ſub Ambroſij temporibus non fuit obſcurus tumulus Martyris Victoris, ſed toto Chriſtiano orbe celeberrimus: nam eò confluebant vndiquè voti rei prò libertate conſecuta fideles: ergo facta non fuit eiuſmodi clancularia translato in Ambroſianam, vbi nullus concurſus, nullus cultus ea de cauſa. Illud ſatis oſtendũt Scriptores. Ripamontius loquens de hoc Martyre. *Claruère perdiù Reliquiæ Martyris huius, & tantum valuit in exteras quoquè terras dedita fama, vt ſibi Patronum eum, atquè tutelarem plerequè Gentes adoptarent*. Et paucis interiectis:

Decad. 1 l. 2.

Memi-

Meminere Martyris inclyti pleriq. Scriptores. Ennodius etiam ſaluti ſibi fuiſſe teſtatur, cum in magna ſua calamitate bonæ ſpei plenus ad ipſius tumulum acceſſerit. A Baſilica Petri, *Aſolet Sanctus hic Martyr inuocari præſertim ab ijs, qui detinentur captiui, aut in exilio extra Patriam.* Similia habet Gluſſianus, referens Gregorium Turonenſem, cuius, quando incidit mentio, referam verba: *Magnificam*, ait, *inclyti huius Martyris memoriam apud Mediclanenſem Vrbem eſſe teſtatur, quòd ſepiùs vinctos ab ergaſtulis diſſoluat, captiuoſq; liberos abire permittat. Et quidam Apollinaris, cum interfecto apud vrbem Romam Victorio Duce, ab incolis loci illius, ſine vlla vnquam redemptionis ſpe, in captiuitatem abriperetur, exilioq; mulctatus apud Mediolanum degeret, & adueniente Sancti Victoris feſtiuitate conuenientibus populis; & hic vigilijs intereſſet (ſub libera enim cuſtodia abſolutus detinebatur) proſtratuſq; coram ſepulcro Sancti impenſiùs oraret, audiuit duos quoſdam pauperes familiari colloquio admirandas*

In libello quarundam Med.

In libel ſept. Eccl. Med.

Greg. Tur. de Gloria Mart. l 1. cap. 45.

Martyris virtutes prædicare, alterumq; alteri certò affirmantem, ea nocte quemdam à miſeranda captiuitate eiuſdem Martyris virtute abſoluendum. His auditis Apollinaris quaſi quodam auſpicio ex Dei nutu admonitus, iterum atq; iterum ad Martyris prouolutus tumulum orauit, vt ſaluus in Patriam abſcedere poſſet; moxquè vocato puero equum ſterni præcepit quo conſcenſo, præſidio Beati Martyris euaſit. Idem miraculum refertur ex eodem à Surio, & à Baſilica Petri, & licet ibi non dicatur, in qua Baſilica fuiſſet illuſtre illud ſepulcrum; tamen ſatìs amplè loquebatur ipſa deuotio Populi, ipſe ornatus multus compedũ, catenarum, manicarum, atq. neruorum in veteri Portiana, nobis quoq; à Maioribus noſtris, qui conſpexerunt, narratus; nequè tale quid vnquam auditum eſt in Ædicula Diui Satyri ad Ambroſianam, quæ vtique ex oblationum diuitijs aliquando in magnificentiorem formâm fuiſſet extructa.

A Baſil. Pet. in vita S. Materni.

Accedit quod celebritas tanti ſepul-

cri,

cri, decantata Gregorij Turonenſis ętate, qui floruit anno ſalutis quingenteſimo octogeſimo ſexto, multò clarior eſſe debuerat temporibus S. Archipręſulis Lazari, qui centum & quadraginta ſex annis, propior erat initijs tantæ deuotionis erga Martyrem Victorem, quomodò ergo is, cum inſtitueret ſupplicationes, Græcè Litanias, ad ſingula loca, vbi vetuſtæ religionis fuiſſet ſedes, vbi SS. Martyrum reliquiæ colerentur, non ſtatuit adiri Eccleſiam S. Victoris ad Cælum aureum, ſed ſuam populiquè religionem erga Martyrem hunc exhibuit in tribus alijs Templis, ad eius honorem Deo dicatis, nempè in noſtro ad Corpus, in alio ad Theatrum, vbi ille ſe abdiderat, & ad Vlmum vbi fuerat decollatus? Periniquè ſe geſſiſſet Sanctus ille Antiſtes erga reliquias tanti Martyris, declinando ab eis, pro quibus colendis peregrinationem longinquam exteri ſuſcipiebant; & tamen ius ſtationalis Litaniæ

adhuc perſeuerans, ab ipſo ſancitum, docet declinatam fuiſſe Ædiculam Satyrianam. *A*ut ſi contenderis, in hac viguiſſe cultum illum erga reliquias Sancti Victoris, narratam à Turonenſi, indica qua occaſione deperierit, & translatum fuerit in noſtram Eccleſiam ad Corpus vocatam, in qua durat vſquè in præſens. Etenim cum ſuperiori ſæculo Diuus Carolus, cuius eſt in benedictione memoria, promulgaret gregi ſuo Mediolanenſi theſaurum indulgentiarum, ſibi conceſſum à Sancta Apoſtolica Sede, pro ſeptẽ Vrbis noſtræ Eccleſijs, ad inſtar Romanarum, declarauit ſelectas fuiſſe ad id honoris præcipuas, ac ſpectabiliores; tùm ob inſignes SS. Reliquias, tùm ob antiquiſſimam Populi deuotionem, & inter eas nominauit noſtram Sancti Victoris ad Corpus. Ait enim in Epiſtola paſtorali *Nunc cum ſpirituali noſtra veſtraquè lætitia ſingulariter aucta eſt huiuſmodi gratia; cum idem Summus Pontifex dignatus*

fuerit

fuerit pro ſua benignitate & charitate ſingulari in hunc populum, concedere nobis etiam (velut percipietis ex eius Apoſtolicis literis) theſaurum indulgentiarum Septem Vrbis Eccleſiarũ pro totidem Eccleſijs Mediolani ex inſignioribus; tùm propter reliquias ſacras, quæ in eis extant, tùm propter peculiarem antiquamquè deuotionem, quam ad eas gerit hic populus &c.

Quam peculiarem, veteremquè Populi Mediolanenſis deuotionem ad noſtram Baſilicam, non licet in aliud referre, niſi in productum hucuſquè ab initio cultum inibi corporum illuſtrium SS. Victoris, & Satyri; quorum aduenarum incolatu, & morte, Ciuitas noſtra maximoperè gloriatur; cum cęteròqui non deeſſent complures aliæ Eccleſiæ non minùs ipſa reliquijs ſacris ornatę, in illud ſeptenarium prænumerandæ.

Quod ſi Portiana ſpoliata fuiſſet ab Ambroſio reliquijs S. Victoris, & ex conſequio non dignata ſepulcro Satyri, egreſſus fuiſſet ab ea omnis decor

eius;

eius; ab inde nil erat, quod appellaretur mendaciter S. Victoris ad Corpus, quod ornaretur ſuſpenſis captiuorum redemptorum trophæis, de quibus locutus eſt Turonenſis, quod Sancti Archiepiſcopi inuitarēt populum ad proſequendam eius venerationem, Lazarus quidem priuilegio Litaniarum, & Carolus ſeptem Eccleſiarum; nil erat, quod maiores tradidiſſent, vox Populi affirmaret, perantiqua inſcriptio in Eccleſia loqueretur, quingentorum annorum ſeptem publicæ tabulæ, quas aſſeruamus in noſtro Archiuio, teſtarētur de Corpore S. Victoris in hac Baſilica quieſcente, quæ omnia comprobauit ipſa inuētio earundem reliquiarum, & S. Satyri, & de quibus ſingulis fit mentio in publico documento inuentionis, confecto iuſſu Beatiſſimi Cardinalis S. Praxedis, in fine huius operis deſcribendo. Non ſunt hæc mera coniectamenta, & ſuſpiciones, ſed manifeſtiſſima veritatis argumenta,

quibus

quibus patentiora vix haberi queant, vel deſiderari in re peracta tot retrò ſæculis. Ijſquè contradicere quàm ſit indecens, vel ex eo liquet, quod publicis tabulis dempta fide, nihil in humanis ſuperſit certum, aut inanibus altercationibus non obnoxium. Sciteque ait Ripamontius *Audacia videtur eſſe præcipitis publico iam conſenſu receptas tabulas infirmare velle*. Decad. 1. lib. 2.

Et quidem conatus es fidem publici Tabellionis labefactare, dum referente eo in documento conſcripto ſuper inuentione SS. iſtorum Corporum, quod etiam Chronica Boſſiana meminerant huius ſepulturæ ipſorum, opponis tu: *Quod autem in prædicto documēto (præter Seniorum traditionem, Populi totius vocem, antiquas illius Monaſterij, & Eccleſiæ tabulas) Chronica etiam Boſsiana proferebantur in teſtimonium, in dicto altari maiori inesse Corpora, ſeu oſſa, & reliquias SS. Victoris Martyris, Satyri Confeſſoris &c. ijſdem profecto*

fectò in Chronicis vnde milleſimo tantum Chriſti anno videri nobis hoc poteſt indicatum: Hic Archiepiſcopus fuit magnæ Sanctitatis, Monaſterium S. Victoris ad Corpus dotauit, vbi corpus eius in pace quieſcit. Atquì Boſsius re vera hiſce poſtremis verbis non de Sancti Victoris, ſed de Arnulphi Archiepiſcopi corpore loquitur. Imò vtrumquè Corpus ibi requieſcit, & *A*rnulphi, atquè etiam Victoris. Quod ſi de illo tantùm loquutum Boſſiũ præſumis ex Catalogis *A*rchipreſbyteri Metropolitani, nec non Secretarij Vrbani; nos rectiùs autumamus, ſermonem eſſe de Sancti Victoris corpore ex publicis alijs tabulis, ſignatis manu alterius *A*rnulphi Archiepiſcopi, quæ ſunt in *A*rchiuio noſtro, tenoris huiuſmodi, barbarẹquè pro illa ætate loquutionis: *Henricus gratia Dei Rex anno primo regni eius hic in Italia, primo menſe Aprilis indictione tertia. Commutatio bonæ fidei noſcitur eſſe contractum, vt ad vicem emptionis obtineat firmitatem, eodem nexu obligat*

contra-

contrahentes. Placuit itaquè & bona conuenit voluntate inter Dominos Arnulphum reuerentiſsimus huius Sanctæ Mediolani Eccleſiæ Archiepiſcopus, nec non & inter Alteramum religioſus Abbas Monaſterij Beati Chriſti Martyris Victoris VBI EIVS SANCTVM CORPVS REQVIESCIT, qui eſt conſtructum foris, & non multum longè ab hac Ciuitate Mediolani &c. Quid ais ad hæc? Nonnè Arnulphus III. Archiepiſcopus contrahens cum Alteramo & loquẽs perſpicuè de corpore ipſius Martyris, quod & Sanctum vocat conteſtis ſit Chronicis Boſſianis? Scripta ſunt ea ante quingentos quinquaginta annos, tempore Henrici Imperatoris Quarti, aliquibus Tertij. Videſnè vt etiam tunc ea fides vigeret de Victoris ſepultura in hac Baſilica? De Arnulphorum autem corporibus non ita liquidò conſtat, ſit nè aliquis eorum in eadem humatum, nam eſto Ioannes de Deis ſequutus opinionem Cardinalis

Sirleti aſſerat, tantum Arnulphum tertium in Victoriana tumulatum, in contrarium tamē ſtant Catalogus Archiepiſcoporū inſertus actis Eccleſiæ Mediolanenſis, & Beſutius in hiſtoria Pontificali, aſſerentes alibi ſepultum fuiſſe. Eñ quomodo non errauerit Scriba, referendo in documento inuentionis, Chronica Boſſiana teſtiſtimonium dare ſepulturæ Victoris in loco, vbi repertus fuit, & ambiguam authoris loquutionem, quæ alterutri accommodabilis eſt, de hoc, quàm de Arnulpho, congruentiûs accipiendam. Nobis autem firmiſſimum eſſe debet, quod ſi facta fuiſſet ab Ambroſio translatio Corporis Sancti Victoris in Ædiculam Satyrianam, idem mox reddita Eccleſiæ trãquillitate indicaſſet populo locum, vbi colendæ eſſent tantæ Reliquiæ, ne debito fraudarentur honore, nequè paſſus eſſet diutiûs decipi fide-

lium

lium religionem; imò innumeræ turbæ quas ex Mombritio recitaſti proſequutas funus Satyri, non reticuiſſent poſteris, ſe interfuiſſe dum ad læuam Victoris ille ſepeliretur in Sacello Ambroſiano, quæ traditio iugibus confirmata miraculis, perueniſſet ſucceſſiuè ad Sanctum Lazarum proximum illi ætati, deinde ad Arnulphum, qui pia affectus religione erga Martyrem, cum ſtatuiſſet amplificare, & ditare Eccleſiam, in qua eius reliquiæ colebantur, inſumpſiſſet in amplificanda Ædicula Cœli aurei, quæ maximè indigebat, diuitias, quas profudit in ædificationem Monaſterij, & magnificentiorem ſtructuram huius Templi, ad Corpus vocati. Sed nulla de re hac erat dubitatio, quippè non opinando tunc temporis documenta dixerunt *Vbi corpus eius fertur requieſcere*, at aſſeueranter, *requieſcit*.

Faceſſant igitur nugæ de tranſlato corpore Sancti Victoris. Agnitus is, cultuſquè eſt omnibus Sæculis in Portiana, & conſequenter ibidem cum eo Satyrus, immeritò controuerſus, obdormit.

FAX SEPTIMA.

Incinerans fundamenta tranſlationis Corporis Sancti Victoris in Ambroſianam.

SEcundo hucuſquè nauigauimus vento: nūc autem nauis hæret in vado, ſyrtibus prædurìs alliſa. Quibus armis viribuſuè inimica tentabimus Caſtra, adoriemur munitiones, quas in aduerſum poſuit hoſtis inexpugnabiles? Fortiſſima & formidanda nimis ſunt fundamenta, quibus ſuperſtructa eſt aſſerta translatio Corporis Sancti Victoris, ante obitum Satyri, in Ambroſianam: ea impetum ſiſtent vniuerſalem totius populi oppugnantis, retundent arma rationum, traditionum, & ſcrip-

& ſcripturarum quecunquè mox inueximus. Diſpeream, ni *Apinis* & Tricis videantur debiliora. Audiſtis, quas in ſuperioribus adduxit rationes pro ſepultura Satyri in Ambroſiana? Eæ Aduerſarij iudicio ſunt firmiores his, quas adducit pro translatione Victoris: nam hanc indè magis ſe putat probare, tanquàm è notiori principio. Scribit enim. *Quoniàm verò pluribus ad-*
Num. 19. *huc indicijs oſtendiſſe videmur Satyri Corpus, quàm Victoris hic iacere; liceat ergò iam tandem nobis hanc fidentiùs argumẽtationem, tanquàm è re notiori conficere.* S. *Victor Maurus non alibi iacet quàm vbi Sãctus Satyrus; quippè cum hic ad eius lauam in eodem ſepulcro conditus ſit: Atquì Sanctus Satyrus in hac ſui Eccleſia, & Cappella, propè Baſilicam iacet Ambroſianam; igitur & Sanctus ipſe Victor hic iacet.* Quare potiùs non inuertiſti argumentationem, vt bonus ordo poſtulabat, & non es ratiocinatus ſic? Victoris, qui priùs defunctus eſt, ante ſtabiliendus eſt tumulus, in quo expe-
ctauit

ctauit Satyrum, quàm decernamus, quo loco hic ſit illi aſſociatus; ſed minora ſunt argumenta, imò ſuſpiciones, & coniectamenta, quibus cõtenditur, Victorem iacere in Satyriano Sacello, fortiuſquè probatur quieſcere in ſua Eccleſia ad Corpus: ergo in eadem adiunctus eſt illi Satyrus. Quandoquidẽ ergo huius ſepultura pẽdet á ſepulcro Victoris, & non è conuerſo, debueras ita argumentari; ſi dixero, Victorem quieſcere extra Portianam, rem nouã, & inauditam enunciabo, aduerſus publicas, famam, ſcripturas, traditiones; tantùmq; infirmas pro hoc habeo ſuſpiciones; ſed cum eo Satyrus indiuiduum habet tumulum, ergò rem nouã, & inauditam proferam, ſi dixero Satyrum iacere extra Portianam. Secûs autem placuit tibi plauſtrum iungere bobus præpoſterum, vt ab hoc traherentur illi.

Audiamus nihilominûs quæcunquè illę ſint tandem, ſuſpiciones, contra nos militantes. Duo

Duo characteres aderant malè ſcripti in titulo Victoris, qui ſub eius capite repertus eſt, quam circunſtantiã ſignauit Documentum publicum, de ipſa inuentione diligẽtiſſime confectũ. *Legebantur hæc verba videlicet S⊳ IC⊢ OR; quorum literæ V. & T. erant ſcriptæ modo retrogrado.* Nos quidem nequiuimus inſpicere ipſos lateres, quibus inſculpta ſunt nomina horum Sanctorum, fuerunt enim rursùs cum his reconditi; ſed tùm nobiſcum seriò meditantes, tùm acris iudicij viros conſulentes, ſtatuimus, nõ alio modo ſcriptos fuiſſe duos illos characteres, quàm mox exhibito, non enim dicuntur exarati ordine inuerſo, nec præpoſtero, ſed retrogrado. Vt vt ſit, apprimè intellecta fuit dictio ex illis compoſita, ſignificare Victorẽ. Huiuſmodi duorum elementorum inordinata diſpoſitio, incredibile dictu eſt, quàm torſerit, exagitauerit mentẽ Aduerſarij. Sudauit, alſit, ſuſpendio pendulam damnauit mentem, nam in-

quit: *Vel ipſa profectò illa literarum in Victoris nomine inuerſa diſpoſitio, qua literæ illæ V. & T. nobis aſſerebantur modo retrogrado ſcriptæ: dici ſatis non poteſt, quàm importunè, ac moleſtè nobis talem illam ſuſpicionem incuſſerit, auxeritq́; perinde ac ſi Ambroſius de induſtria characteres illos ita ſcribi, ſeu ſcalpi iuſſerit inuerſos, vt eodem illo errore, qui cæteròqui facile poterat incuriæ, inſcitieque Artificis imputari, ſuppoſititium illud corpus à vero alibi, natiuoq́, Catholici diſcernerent; non ſic autem Ariani ſi fortè fortuna praualuiſſent.* Verè qui impensè cupiunt, vndecunque ſuis abblandiuntur votis, omnia trahunt in ſui deſiderij argumentum, nam &,

Qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt. Ouid.

Bonus hic vir adeò raptus eſt amore poſſidendi Satyrum in Ambroſiana, vt præcucurrerit etiam ad ſuffurandum Victorem (ſine quo conabatur fruſtrà) impulſus moleſta, importunaq; ſuſpicione; cuius medelam idemmet profe-rebat, & non agnouit. Nonnè dicis quod error ille facilè poterat incuriæ,

inſcitieq; Artificis imputari? Cur ergò, quod difficilius erat, ſuſpicatus es in Ambroſio tot crimina, puſillanimitatis, diffidentiæ, mendacij, incuriæ in non indicando fidelibus, & ſinendo tā craſſum errorem inualeſcere circa tāti Martyris ſepulcrum, ac cultum? Profectò error in ſcriptura ex natura ſua fertur ad indicandam incuriam, inſcitiamuè in Scriptore, minimè verò ad diſcernendam rem ſuppoſititiam á vera. Etenim, dato quod in hunc finem ita fuiſſent ſcripti illi characteres, adhuc opus fuiſſet alia declaratione, ſeu verbo, ſeu ſcripto, ad myſterium intelligendum, & hanc ſoli tibi factam cogimur credere poſt tot ſæcula nudiuſtertius; cum abſqué alio documento, quotieſcunquè inſpicio ſcripturā mēdoſam, ſcriptoris incuriæ imputem. Propiùs ad rem acceſſiſſes, minùſqué inofficiosè in Ambroſium cogitaſſes: Maternus, ſæuiente perſecutione Maximiani, in illa paucitate fidelium, eo-

rumq; latitantium, præſto non habuit artificem gnauum ſcribendi, & incidendi, dum raptim ſepeliret Martyrẽ; vſus eſt opera hominis fidelis, obuij, cuius facilè munus non erat ſcribere, & ſculpere; quod ſciuit, præſtitit. Miraris irrepſiſſe vnam, & alteram inordinatas literas? Ego potiùs ſtupeo, reliquas fuiſſe rectè exaratas ab homine imperito, tempore præcipiti, loco fortè obſcuro, conſternato animo, manu tremula, corde pauido, & ad omnem folij ventilationem metuente, retrò inſtantes ſatellites, deniquè lugẽte Martyrem; ſimulq; anxio, ne & ipſe deprehenſus ad Martyrium raperetur. At in Satyri nomine non mendoſo, vt potè alio tempore in Eccleſiæ pace inſculpto, in conſimili latere, á non rudi artifice, & imperturbati animi; quid criminaris? Saltem recipias ſcriptum accuratè, dum abiuras, quod obliquas quaſdam continet literas. Victoris repertum corpus in Portiana tibi eſt fictitiũ,

quia non rectè ſcriptum eſt eius nomen; Satyri ergò verum erit corpus, quod citra vllum erratum dilucidam habet inſcriptionem. Abnuis tamen, quia indiuidui ſunt comites Sancti iſti; & recepto alterutro, ſocius pariter eſt admittendus. Itaquè, vt video, res agitur, vt aſſolet, nunc peſtilentia graſſante. Viator repellitur ab ingreſſu oppidi, licet exhibeat teſſeram ſanitatis legitimam, ſi modo adiunctus perrexerit comiti, habenti eandem quadantenùs vitiatam, & ſuſpectam; cauetur enim, ne fortè qui infectus fuerit contage, etiam infecerit ſocium. Integrũ & ſanum nomine habemus corpus Satyri; ſuſpectum tantùm & ipſum tibi eſt, quia ſuſpectum eſt corpus Victoris, & totum hoc duorum elementorũ peccato, *quod facilè poterat incuria inſcitieque Artificis imputari*, te ipſo iudice. Quin maluiſti, ſubeſſe technam à Sancto viro concinnatam Ambroſio ad Arianos fallendos, quæ re vera poſteà

magìs reciderit in ipſos Catholicos, qui ab inde vſquè ad nos decepti fuerint, ipſequè inter hos Sanctus Carolus Borromæus tantus ſucceſſor Ambroſij; cuius peccato fictionis, cultus debitus Victori vero, ad commentitiū fuit iniquè translatus. Nec tamen video, ad quid vtilis fuiſſet illa literarum peruerſio. Erat ne in eadem Eccleſia aliud corpus ſignatum nomine Victoris, vt neceſſe fuerit vnum ad altero ſic diſcriminare? Si verum translatū fuerat aliò in Ambroſianā, ſufficiebat abſqué eo mendacio, vt ſilentio res premeretur; donec ceſſante hoſtium metu, (quod breui fuit) Ambroſius palā faceret, reliquias Martyris ea de cauſa translatas, eſſe colendas in eius Ædicula ad Cęlum aureum. Cur conticuit toto decennio, quo ſuperuixit, vel ſi indicauit, quomodò deperijt apud poſteros memoria ſolius huius corporis Sancti, inter cætera ab eo translata. Perdurarunt manifeſta Corpora SS.
Geruaſij

Geruaſij & Prothaſij, Nazarij & Celſi; Victor abijt in obliuionem, qui miraculis amplius clareſcebat?

Vlteriùs ſi titulus hic, habens literas V & T retrogradas, poſitus eſt falſo Victori ab Ambroſio in tranſlatione, vbi eſt alius à Materno poſitus vero in prima ſepultura? Si is nullum poſuit, nullus pariter ab Ambroſio fuerat adijciēdus; ſin aliquem poſuit, indica quid de eo actum ſit. Certè transferendus erat ſimul cum corpore, quod intitulabat. Hoc puto, indicas ea narratione: *Hic nimirum ſub altare* Diui Satyri *latet ingens ac nobiliſsima è candido marmore arca (eademquè illa eſt, quam inſcriptio ſuperius à nobis nominata innuebat) cui rurſus altera ineſt lignea: ſed vetuſtate vſquè adeò marcida, vt ipſomet digitorum affrictu comminuatur, ac velut in puluerem redigatur. In hac duo ſeparatìm iacent corpora; quodquè dexterum eſt ſicut magis abſumptum, ita etiam tempore videtur eſſe anterius, quàm ſiniſtrum: ſiniſtri porrò capiti marmorea ſubeſt eiuſmodi tabella. Qua parte caput*

put illa tangit, inſculptas habet haſcè quatuor literas, primaſquè duas in latere ſuperiori, alteras verò in inferiori SS. HR. quas quidem Monachi è maiorum traditione ſic interpretari conſueuerunt SANCTVS SATYRVS HIC REQVIESCIT. In altera verò & auerſa parte binas habet iſtas S. V quæ iuxtà Dungali teſtimonium, non aliter exponi poſſe videntur, quàm vt perinde ſint, ac SANCTVS VICTOR, hominemq́; in arca iſta collateralẽ, atq; iam ante tumulatũ ſignificent; cui proinde vni ſignificando eiuſmodi etiam tabella fortè priùs deſeruierit; ſed, facta poſtmodum Satyri acceſſione, literæ pariter illæ fuerint in altera parte ſuperadditæ.

Diuinaſti equidem. Licuit tibi cenſere de mea inſcriptione, quæ extenſa & clara eſt; liceat & mihi exponere tuã abbreuiatam, ac ænigmaticam. Scis quid innuant literæ binæ S. & V. Sic Volo; quandoquidem arbitrariè reſpondes. Et quatuor illæ SSHR. ſignificant Sed Simplex Hæc Reſponſio. Omiſſis iocis rem enucleo. Tabella hæc

hæc marmorea *non præfert ſignum maxime antiquitatis*, ſicut de noſtris lateritijs notatum eſt in publico Documento: nequè enim veriſimile ſit, Maternum ſepelientem Victorem ferè furtim, præſto habuiſſe lapicidam, qui affabrè in tàm ſumptuoſa tabula marmorea inſculpſerit epigraphem; poſt diù verò dum in magna Eccleſiæ tranquillitate ſepeliretur Satyrus, frater Archiepiſcopi, laboratum tanta inopia lapidum, vt opus fuerit eadem tabella inuerſa vti ad cælandum eius nomen adeò obſcurè, vix duabus literulis. Sed nupera cenſeri poteſt ſic poſita abbreuiatè ab incertis, & ambigentibus, proptereaquè non audentibus clarè affirmare, quod tantum in opinione habebant, ſeù potiùs in votis; idqué anno ſuperioris ſæculi octuageſimo octauo (ſi tamen non recentiùs) quando poſtico altari inſerta eſt alia lapidea tabula, his verbis inciſis: *Sub hoc Altari in Arca marmorea iacet glorioſum corpus Sancti Satyri fra-*

tris

tris Sancti Ambroſij. Item in alia capſa lapidea in eodem altari iacent corpora SS. Martyrum Caſti, & Polimij, nec non aliud Sanctum *Corpus cuius nomen ignoratur; cum plurimis aliorum* S*anctorum ac* S*anctarum reliquijs*: de qua ex te ipſo habetur: *Sic etiam tunc temporis* (loqueris de prædicto anno octuageſimo octauo) *conſitam credimus* Num. 305.
parieti fuiſſe tabellam illam, cuius Epigraphem proferebamus. Quod ſi iam pridem extitiſſet intra Arcam tabella illa cum inſcriptionum abbreuiatis notis, quarè ne verbum quidem de ea factũ eſt per Ambroſianos Monachos, quando conuenti ſunt ad ſpectaculum inuentionis Corporum Sanctorum Victoris ac Satyri in Portiana per Diuum Carolũ; vt producerent, ſi quid in contrarium habuiſſent? Quare altera illa inſcriptio nunquam infixa eſt altari, ſuperſtite eodem Sancto *A*ntiſtite, ſed tantùm longè ab eius obitu? Quis inſpexit huiuſmodi arcam, corpora, tabellam? Cur non palàm, ſolemniter, authoritate Or-

dinarij, ſicut nos egimus, peracta eſt eorum recognitio? Tu inſpector fuiſti, haud credam aliquid pretioſi in Arca illa ſeruari, quam pro libito tibi datur ſcrutari; nam loculi Sanctorũ Corporum quam maxima diligentia clauduntur, obſignantur. Sed prætereà malè inſpexiſti, cũ dicas: *In hac duo ſeparatim iacent corpora*, lapis verò infixus altari perhibeat, in ipſa iacere vnum tantùm corpus Satyri. *Sub hoc Altari in arca marmorea iacet glorioſum corpus* S. *Satyri fratris S. Ambroſij*: de ſocio cur non ſit mẽtio? At inquis ignorabatur cuiuſnam Sãcti eſſet illud corpus. Redarguo. Nã quo interpretatum fuit per duo, SS. intelligi Sanctum Satyrum, ita per S V. cur non interpretatum fuit, vt à te, Sanctũ Victorem? Dices nondum compertũ erat ex Dungalo, hunc illi fuiſſe ſocium in tumulo. Nihil dicis: Etenim inſcribendum erat marmoreæ tabulæ, iacet & aliud S. Corpus, intitulatum S. V. vel ignoti nominis, quemadmodum mox

in

in eadem inſcriptione ſubijcitur de arca SS. Caſti & Polymij *quod contineat alıud Sanctum Corpus,cuius nomen ignoratur.* Videñ vt inuerſimile ſemper ſit loripes, fultum ab vno latere cadit ab altero? Valdè autem miror cum te audio dicentem de ijs duobus corporibus, exanimatis tot iam ſupra mille annis: *Quodquè dextrum eſt, ſicuti magis abſumptum, ita etiam tempore videtur eſſe anterius quàm ſiniſtrum*. Ducam te per cęmeteria, & ſponſionem faciam, quam volueris; ſi addiuinaueris, vtra oſſa ſint veteriora ex humatis, his ãte quinquaginta, illis ſexaginta annos. Tanta eſt ætas Satyri in ſepulcro, vt nequeat diſcerni Victore recentior. Nobis quidem dum ipſa Sacra Corpora vera retegeremus, non apparuit huiuſmodi diſcrimen, nec dabatur internoſcere, quis eſſet ex eis Martyr, & quis Confeſſor niſi inſcriptiones indicaſſent. Catalogus Archiepiſcoporum noſtrorum à Sancto Barnaba vſquè ad Ioan-

nem Arcimboldum, cui addita ſunt quædam ex collectis per eruditum virum cognomento Fontanam, loquens de Sancto Datio ita habet. *Iacet in Eccleſia S. Victoris ad Corpus cum SS. Mirocle-te, & Prothaſio Epiſcopis.*, innuens quaſi ſimul eſſe conſepultos. Igitur reperta pariter fuerunt ibidem tria corpora, quæ exiſtimata ſunt eſſe hæc SS. Archiepiſcoporum Mirocletis, Prothaſij, & Datij. Primus nonageſimo anno tertij ſæculi, poſtremus ſexageſimo ſexti defunctus eſt, & tamen interuallum ducentorum ſeptuaginta annorum nō ſuffecit ad indicandum quiſnam eſſet antiquior ex ijs, ſiquidem adnotatum fuiſſet in deſuper confecto Documento. Ratio etiam id ſuadet, quia poſt adeò longa tempora, oſſa defunctorū aut pariter incinerātur, aut pariter ſubſiſtunt. Memini me aliquando Laurētianam tuam Baſilicam inuiſiſſe, inſtāte die ſuffragandis omnium fidelium Manibus addicto. Ibi curantes lugu-

brem

brem, ornatum, quá defunctorum caluarias, quà coſtas, quà tibias appendebãt. Interrogaui, diſcernerentne à quo tempore defuncti eſſent ij, quorum oſſa præ manibus haberent, & an etiam inter eos, qui recentiùs, quiuè antiquiùs deceſſerãt dijudicarent. Reſponderũt, leui me quaſi irridentes cachinno, ita omnia lætho æquari, vt paria ſint poſt abſumptam cutem etiam oſſa, nec vllum diſcrimen ea inter ſit noſcere.

Refracta authoritate harum marmorearum Tabularum, quippe cum nuperæ ſint, nullum teſtimonium certũ reddere poſſunt de re adeò antiqua; ſolutus ſum ab onere interpretandi earũ literas. Concedam tibi quamcunquè iaterpretationem tibi confixeris. Dicãt S.S.H.R. Sanctus Satyrus Hic Requieſcit, & illæ S.V. Sanctus Victor; quid inde? Appoſitæ ſunt heri, poſt vulgatam celebrem inuentionem illorũ ſacrorum pignorum in Portiana, ſeu bona fide á ſic opinantibus ad votum, vel

mala,

mala, ad aſtruendum indicium poſſeſſionis eorundem, quam Ambroſiani præſumunt. Sed dato adhuc, & nón conceſſo, quod ea tabella marmorea, quam in arca vidiſti eſſet perantiqua, num cogemur tunc ſtare tuæ interpretationi? Qui cauillaris ſuper lateritijs antiquiſſimis noſtris inſcriptionibus; proferentibus per extensũ, & diſtinctè hæc nomina S.SATIR S.> IC⊢ OR, propter duas ſolum literas modicum aberrantes, non patieris aliam interpretationem tuarum notarum quæ sũt theſis indefinitæ? De Æſopo legitur, quod ſimul cum hero deambulans, interpretatus eſt illicò triformitèr ſeptẽ literas inciſas obuio lapidi; ſic tuę iſtę poſſunt exponi *Sit Salus Hic Requieſcenti*; vel *Sculpſit Sepulcrum Hoc Robertus*: vel *Sãctum Satyrum Hic Requieſcere, ſunt Verba*, & alijs modis ſexcentis.

Quod ſi interpretandum ſit de aliquo Sancto corpore, id fiet congruentiùs de alio quocunquè, cuius nomen inci-

incipiat ab eadem litera S. quám de Satyro, de quo iam conſtat iacere apud Victorem in Portiana. Quid prohibet exponere de SS. Stephano Epiſcopo, Saturnino, Sebaldo, Sabino, Simeone, Seuero, Simplicio, quorum reliquijs ornata iam aliâs perhibetur ipſa Baſilica Ambroſiana, quorum integra Corpora non adeò compertum eſt, vbi nã requieſcant? Similiter literę S V. recipiunt omnem interpretationem de Sãcto nominis incipiẽtis à litera V; quinimò S. Victoris, at non Mauri noſtri. Planè ſexagintaquatuor huius nominis Sanctos diuerſos legi in Martyrologijs Galeſinij, Baronij, & Ferrarij; ſumito tibi ex eis, quem malueris, relicto nobis Mauro Mediolani paſſo, quem nobis adiudicauit antiquitas, patefecit inſpectio, ſanciuit canonicè Diuus Carolus.

Quiſquis Martyrem habet in tumulo, & nomen proprium ignoret, appellet Victorem, & non mentietur; ſunt

nam-

namq; Martyres ōnes VICTORVM genus optimum; quod vincit, dum óccidit, non dum occîdit. Hoc appellatiuo nomine ſingulos Chriſti cruentos milites compellat Eccleſia, *Martyr Dei qui vnicum Patris ſequendo filiũ, victis triũphas hoſtibus VICTOR fruens cæleſtibus.* Propterea in cryptis antiquis, & cœmeterijs Sanctorum, vbicunquè tumulus eſt ignoti Martyris, ſtant pro nomine inſculptæ palmæ, & coronæ, Victorũ inſignia. Habes corpus Martyris, habes Victoris: fortè erit hoc tuum ſepulcrum Martyris anonimi, & pro corona, & laurea inſculpſerunt arcæ (quod idem eſt) S.V. Sanctum Victorem, ideſt Sanctum Martyrem. Nũc autem, ſicut olim Apoſtolus dixit A- *Actuum Ap.c.17.* thenienſibus; *Præteriens enim, & videns ſimulacra veſtra inueni & Aram, in qua inſcriptum erat: Ignoto Deo. Quod ergò ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis*; voluiſti paulizare, declarando nomen ignoti Martyris (ſi modò quid eiuſmodi eſt

inibi)

inibi) & quem nemo alius nouit, propalaſti Victorem. Scio Scriptores, quicunquè Ambroſianam Ædem meritis elogijs celebrarunt, nunquam eius glorijs hanc addidiſſe, quod Victoris Mauri illuſtretur exuuijs. Epiſcopus Nouarienſis agens de Satyriano Sacello, inquit, *habentur ibi pleraquè Sanctorum oſſa recens inuenta, & in ſacrario reperta ſunt corpora, eſtimata ab ipſis Sanctorum eſſe Diaconorum Caſti & Polimij*, nihilquè prætereá addit. Paulus Morigia, qui poſt prædictum ſcripſit, dum de SS. Corporibus meminit in Ambroſiana quieſcentibus, ait: *Prater Protectoris noſtri corpus, & Sanctorum Geruaſij ac Prothaſij alia quoquè adſunt*, quibus recenſitis proſequitur, *adſunt etiam corpora SS. Caſti & Polimij recondita in Cappella Diui Satyri ex parte RR. Monachorum*. Id ipſum confirmat Io. Baptiſta Villa. Qui addunt præterea adeſſe ex parte Monaſterij aliud corpus Sancti, cuius nomẽ ignoratur; eſtquè idipſum quod marmorea

In lib. aliq. Eccl. Med.

 tabula,

tabula, infixa altari, relata à nobis ſuperiùs, indicat coniacere SS. Caſto & Polimio in eadem Arca, diſtinta ab illa, in qua ſolius Satyri corpus perhibet aſſeruari; contra quod ais tu, in hac quoquè reperiri alterum corpus, nunquam ante hac vlli cognitum pro Victore.

Suffarcinas deniquè aliam coniecturam, ex marmoreo carmine ſepulcrali, quod annis tribus, priuſquâm ea ſcriberes, extitiſſe ais in Cappella Satyriana, ex quo diſcitur Virginem Dædaliam Manliam eſſe ibi tumulatam, ante frontem Martyris; Atquì ibi nullius alterius Martyris corpus eſt aſſignare præter Victoris, ob alias coniecturas hactenùs deductas; ergò ipſe eſt, qui indicatur literis S.V. in eadẽ Arca, vbi eſt ſocius ſignatus literis S.S.H.R. Carmen vero eſt huiuſmodi.

MARTYRIS AD FRONTEM recubent quæ membra ſepulcro,
Vt Lector noſcas, eſt operæ pretium

Clara

Clara genus, cenſu pollens, & mater egentum,
Virgo ſacrata Deo, Manlia Dædalia.
Quæ mortale nihil mortali in corpore voluens,
Quo peteret Cœlum, ſemper amauit iter.
Sexaginta annos vicino limine tangens
Rettulit ad Chriſtum celſa per aſtra gradũ.
Hæc, Germana, tibi Theodorus frater, & hæres,
Quæ relegant olim ſæcla futura, dedi.

Dixi leues te ſuffarcinare coniecturas: quæ nihil euincunt; re autem vlteriùs perpenſa, video, te ad eas ſuffulciendas etiam inuerisimilia lato ore depromere. Ais, Carolum á Baſilica Petri neſciſſe, prędictum Epitaphium ante tres annos extitiſſe ab immemorabili, iuxtà & propè Altare Cappellæ Sancti Satyri. Scilicet de rebus Indorum, aut Antipodarum, non de patrijs, aut obiter, & aliud agens Carolus ſcribebat. Nonnè ſcire potuit, Epitaphiũ ab immemorabili in Baſilica Ambroſiana extitiſſe; nec tamen ibi primùm fuiſſe poſitum; ſed illuc translatũm, á

tempore, iam tunc excedente hominum memoriam? Illud diſertè affirmat Carolus, anno quo ipſe ſcribebat, erat 1579. nullo loco apparuiſſe Epitaphiũ; quod tu, antè tres dumtaxat annos ſcilicet 1638. ais eſſe ſublatum. Adeò ne paruulus erat lapis quinque palmaris, aut Carolus oculorum acie adeò hebeti fuit, vt ipſum præterierit; cum tu in pariete, iuxtà Altare, loco omnibus patenti, ac peruio conſitum fuiſſe dicas? Mihi quidem, qui tardiùs hæc ſum perſcrutatus, laborioſa indagine opus fuit; rimatus enim cętera diligentiſſimè, vix tandem in angulo ſegregati neſcio cuius domicilij illum valui reperire. Quod ſi clientes tui, ſub Epigraphe etiam oſſa Dædaliæ latere in eo Sacello eſſent arbitrati; par erat Epigraphẽ de Templo non eliminare, cum facile alio quopiam in loco cõſeri potuiſſet: præſertim ne latus ei ſententiæ campus relinqueretur, quam ſuſcitauit à Baſilica Petri; videlicet ad Diuum Nazarium

zarium

zarium Dædaliæ corpus requieuiſſe; Sic enim ipſe: *Illud argumento eſt, quod cum* In Fragmentis. *erueremus Corpora SS. Archiepiſcoporũ, quæ in Eccleſia Sancti Nazarij erant, ſub Altari primario, in media ferè Eccleſia, inuenimus in Arcula argentea, ſphæram ſeu globum, ex aurichalco cauum, magnitudine pugni, qui in duas æquales partes diuiſus ſimul tamen iungebatur, & claudebatur. Intus erant velamina, & parum oſsis; foris hæ literæ DÆDALIA VIVAS IN CHRISTO.* Et poſt pauca: *Repeto hic probabile eſſe huius Virginis oſſa fuiſſe in Arca, ex qua inuenta ad ſiniſtram partẽ ſepulcri Martyris, bonus odor afflatus eſt.*

Iam verò Andreas Alciatus itẽ Mediolanenſis, de viſu teſtis, refert, ſuo adhuc tempore Epigramma ponè ſepulcrum SS. Geruaſij, & Prothaſij fuiſſe collocatum. Aſſeris tu ab immemorabili (quo loquendi modo perpetuò velles intelligi) extitiſſe propè Altare Sacelli Sancti Satyri; quod Sacellum tantum á ſepulcro eorum Martyrum diſtat, quantum in ſuperioribus obſeruatum

ſeruatum eſt, & quod, te authore, aliam ab Ambroſiana Baſilicam, Fauſtinianã ſcilicet, conſtituebat. Alciatus quidẽ luculenter: *Adhuc Mediolani in Prothaſij, Orbaſijq; Martyrum tumulo eſt Epigramma, quo Martyris ad frontem legitur ſitam neſcio-quàm fœmellam, Manliam Dædaliam*. At tu, Mãliæ oſſa, ais, nõ recubaſſe ad frõtẽ Sanctorũ Geruaſij, & Prothaſij *ſicut ex Alciati verbis argutari fortè quiſpiã poſſet*. Id nè eſt argutandi dumtaxat anſam præbere, an certo certius affirmare? Vide quanti facias Scriptores grauiſſimos, quàmquè eorum exagites verba, ne tuis videantur aduerſari commentis. Pergamus. Alciatus dicit, Epigramma eſſe *in tumulo* interpretaris tu, *ſiue in Baſilica:* quaſi verò ipſe per ſe dicere nequiuiſſet, ſi totam Baſilicam loco tumuli voluiſſet intelligi. Eſt igitur Gloſſa tua Gloſſa Aurelianenſis, quæ contradicit textui. Scribebat Alciatus ad eam Iuſtinianæi Codicis legem, quæ prohibet, cadauera in ſepulcris Apoſ-

Leg. 2. Cod. de Sacroſan. Eccleſ.

tolorum,

tolorum, aut Martyrum tumulati: cum tamen nunquàm vetitum ſit, in eorum Baſilicis recondi. Quamobrem dum ait, cerni aduerſus eam legem, Mediolani ſepultam Manliam Dædaliam in tumulo Martyrum Geruaſij, & Prothaſij, non eſt locutus de Templo; in quo non ignorabat infinitos penè alios eſſe tumulatos. Equidem Lanterij, eiuſq; vxoris ſarcophagus prædictis Martyribus vicinior eſt, quàm Manliæ Dædaliæ, per te non niſi in Satyriano Sacello quieſcentis: nec tamen eorũ meminit Alciatus. Nec pro te eſſe putes, quod contra Alciatum pronunciauerit Carolus á Baſilica Petri, *falſum apparere viſentibus*, ea carmina eſſe in tumnlo SS. Geruaſij, & Prothaſij. Pace enim tanti viri reſpondebo, nil obſtare quò minùs Alciati tempeſtate carmina viſerentur, quæ tamen, dum Carolus ſcribebat, non legebantur, quia iam fuerant ſublata. Minùs verò nitaris argumento, quod *ad frontem Martyris* dicat lapis recon-

conditam Manliam: dicturus *ad frontẽ Martyrum* ſi, vt volebat Alciatus in tumulo Sanctorum germanorum exiſteret: Carminis quippè numero non admittente. *Martyrum* (niſi Ennianum quoddam in Decaſtico, cęterâ nō ineleganti admiſeris) vſus eſt author frequentiſſimo ſchemate, quo ſingularis numerus pro plurali ponitur: aut fortè Manliæ ſatis fuit, nō ex æquo vtriquè, ſed vni tantùm ex duobus propriorem collocari.

Reliquum igitur eſſet, quandoquidẽ oculati teſtes Epitaphium propé ſepulcrum Sanctorum Geruaſij, & Prothaſij aliquando conſpexerê, vt diceres, inde fuiſſe ad Sacellum Satyrianũ vná cum oſſibus Manliæ translatum: &, ne Manlia longé à Martyris fronte, aut Epitaphium longè á veritate abeſſet, iuxtá Altare, vbi Victorem Maurũ requieſcere autumas, vtrumquè conſtitutum. Benè eſſet, niſi hoc effugiũ tibi præripuiſſes aſſerendo, nunquàm

ad frontem aliûs Martyris, quàm Victoris recubuiſſe Manliam; aut ſi translationis eiuſmodi tempus, aut cauſam, authoreſuè, vel teſtes aliquos indicares. Nos enim gratis dictum, gratis denegabimus; probabiliuſque aſſeremus, (ſi tamen marmor ibi aliquando fuit vbi Carolus à Baſilica Petri illud non valuit inſpicere) eò delatum; ne Manliæ memoria extra totum Templum exularet; quùm à fronte Martyrum Geruaſij, & Prothaſij aliqua de cauſa, puta loci exornandi eſſet auferendum. Simili enim ex cauſa, nouæ ſcilicet extruendæ ſcalæ, fateris tu á Sacello Satyriano ſublatum. Qua opportunitate, alijſuè, quæ ſæpiùs effodiendi acciderunt (quibus tu nouos Satyros nouoſquè Victores inueniſti,) miror non eſſe inuentam, imò fortè nec quæſitam Manliam iſtam aut anonymis exuuijs non eſſe inditum Manliæ nomen, ſiquidem lapis hic per te eam præſentem, quaſi di-

gito, oſtendebat.

Sed eſto tandem; ab ipſo funere Manliam ad frontem Martyris in Satyriano Sacello recubaſſe. Fallax coniectatio eſt Martyrem illum non alium, quàm noſtrum Victorem eſſe: tuquè ipſe fateris numero 304. & 305. iacuiſſe ſub eo Altari corpora SS. Martyrum Caſti & Polimij nec non aliud Sanctum Corpus, cuius nomen ignoratur, cum plurimis aliorum Sanctorum ac Sanctarum Reliquijs. Fallax coniectatio eſt, *ad frontem Martyris*, nil aliud ſignificare quàm iuxtá vel propè. Habet enim latitudinem phraſis illa. Quiſquis per totum Templi ambitum, eò loci, vnde Martyris ſepulcrum conſpici poteſt, humatus eſt, dici poteſt humatus ad frontem Martyris. Fallax coniectatio eſt *fronte Martyris* ſolum Martyris ſepulcrum denotari. Ad Tēplum ipſum, à Martyre nomen habens; ad ſtatuam, aliamuè Sācti Iconem poteſt

teſt eſſe alluſio. Quid mirum igitur, ſi Dædalia tumulata per te in pręcipua Sacelli Sancti Victoris ad cęlum aureũ parte, vbi ipſe muſiuo opere medio in fornice reſidet, dicatur Martyris ad frontem recubare? Certè Iconi Deiparæ non ineptè ſubſcriptum legi.

Virginis ad faciem mortales ſiſtite greſſum
Nonnè ſalutetur, qua fuit orta ſalus?

Exploratum igitur maneat, nec à Reliquijs in Ambroſiano D. Satyri Sacello exiſtentibus, nec à literis incertæ ſignificationis circa eas inuentis, nec ab inſcriptis lapidibus, elici poſſe probabile indicium de exiſtentia corporis D. Victoris aut Satyri in eo Sacello: Hoc tamen poſtremum de lapidibus, ſequenti face adhuc diligentiùs examini ſubijciendum eſt.

FAX OCTAVA.

Admota monumentis, Diuum Satyrum in Ambroſiana Baſilica requieſcere docentibus, eorum vitia detegit.

SED adhuc obiectas marmoream illam Tabulam, parieti conſitam, poſt Altare Sacelli Satyriani in Ambroſiana. Quid enim expreſſius, ais tu, expeti poteſt, quám *Sub hoc Altari in Arca marmorea iacet glorioſum Corpus Sancti Satyri fratris Sancti Ambroſij?*

Tabula hæc poſtica eſt, anguſto in loco, & remoto. Face indiget aliqua, ego adferam; dummodò per ferreos cancellos, quibus ſepitur, liceat acce-

dere. Et priùs generatim oſtendam, fallaciſſimum eſſe hanc á Cenotaphijs, & inſcriptionibus deſumptam probationem; nec ſolidum eſſe, quanuis lapideum ſit, in inſculptis lapidibus fundamentum; niſi alijs adminiculis fulciatur. Ordiar, vnde deſij face antecedenti, à Tabula ſcilicet Manliæ Dędaliæ. Si verum nunc illa enuntiet; martyrem facies Bernardum Italię Regem; ſiquidem qui legit, non niſi ad frõtem Bernardi legit tumulatam Mãliam. Et tamen nec Bernardus iam amplius in ſuo ſepulcro eſt, vt doces numero 39. & ſi vi ſublatus Rex ille fuit, vt multorum fert opinio, compertiſſimum eſt, id non ex aliqua pia accidiſſe cauſa, ſed quia aduerſus Imperatorem Ludouicum pium coniurauerit. Refers ſub num. 171. Lotharium Regem obijſſe in Italia extremum diem, ac Mediolani tumulatum in Sacello Sancti Georgij Ambroſianæ Baſilicæ; eius item ſepulcrum fuiſſe conſpicuum, marmo-

ream

ream nempè Arcam, quæ ibidem anno 1515. adhuc viſebatur. Verum hoc tibi libens dedero, talem Arcam in Ambroſiana fuiſſe; abnuam, aliquando in ea iacuiſſe Lotharium. Me etenim oculatus teſtis Triſtanus Calchus magìs mouet, qui lib. p. aſtruens iuniorem Plinium Mediolani Vicariam exercuiſſe poteſtatem; *Huius rei*, inquit, *mox fidem auxit Tabula marmorea, quam quatuor in fruſtra diuiſam, nobile Lothario Regi ſepulcrum facturi, quidam literarum ignari, in formam Arcæ poſuerunt. Ac neſcio, an Plinij gloriæ inuidentes, ad illius memoriam obliterandam intrinſecus literas obuerterunt, vt niſi immiſſo lumine non legantur. Vacua autem ea Arca eſt in Æde Ambroſiana.* Quid clarus?

Baſil. Vinc. antiq. p. p. Faſc. 6. Nec diſſimile eſt, quod Ioannes Antonius Caſtellionæus memorat; ſcilicet ex inſpecta in Templo D. Dionyſij ad Heriberti Mediolanenſis Archiepiſcopi tumulum celebri Epigraphe, cuius initium.

Hic iaceo puluis cui quondam claruit Orbis,

Tunc

Tunc Heribertus eram, nimioquè decore vigebam &c.

cupiditatem irrepſiſſe conſpiciendi cadauer. Quid verò acciderit ipſe receſeat. *In Arca lapidea, Epitaphio iſti ſubiecta, ac proxima, ſuſpicatus olim fueram, Heriberti oſsa quieſcere; nec temerè, ob vtriuſquè vicinitatem maximam. Nec defuit mihi, rem paulò diligentius inquirere cupienti, Cœnobiarũ Ædis illius prolixa humanitas, vt voti compos euaderem. Nam ea de cauſa animum meũ inuaſerat cupiditas oſſa illa propiùs intuendi; vt ex fideliſsimo oculorum teſtimonio certior planè fierem de forma corporis Heriberti, paruuſne re vera fuerit (quod ex probatorum Chonographorum fide teſtatus anteà fueram) an procerus. Facilè ſiquidem vel ex ipſo oſsium exilium, magnorumuè conſpectu, id quod ſcire auebat animus, dignoſci poſſe mihi perſuadebã. Immiſſa igitur in ſepulcrum face, oſſa Præſulis omnia diligentiſsime recognoui; & grandiora, longioraquè deprehendi, quàm vt homini parui corporis conuenire poſſent: Quamobrem quid hìc mihi ſentiendum eſſet ambigere cœpi. Nimirum,*

mirùm, aut falſitatis inſimulare debebam Scriptores illos, qui Heribertum ſtatura puſillum, literis quaſi coloribus, expreſsiſſent, aut certè fateri, oſſa in Arca illa compoſita Heriberti non eſſe. In hoc animi ſuſpendio, ſubdit; exhibitam ſibi fuiſſe tabellam, olim in eò ſepulcro repertam, teſtantemquè non Heriberti, ſed alterius neſcio cuius oſſa illa eſſe. Quamobrem in hæc verba rem abſoluit. *Quibus fit vt illud Heriberti ſepulcrum eſſe conſtantiſsime negem;* I. nunc è lapidibus fide.

Redeo ad Ambroſianam, & dò exemplum, quod vnicum pro omnibus eſſe poteſt: Affirmas tu diſerte num. 444. tecumquè habes Scriptorum, ac monumentorum nòn contemnendum agmen, Diuum Manſuetum Mediolanenſem Archiepiſcopum in Ambroſiana Baſilica ab ipſò funere tumulatum, ibiquè eius reliquias reuerenter, ac pié ſemper celebratas fuiſſe. Proſtat nihiloſceciùs in Baſilica Sancti Stephani marmorea tabula, aſſerens inibi eſse

Man-

Manſueti corpus. At qua certitudine? *Corpora Sanctorum Martiniani, Auxani, & Manſueti Mediolani Archiepiſcoporum &c. ſub veteri huius Eccleſiæ Choro quondam ſepulta, & propter nouam Templi ſtructuram inde amota, diligenterquè ex antiquis monumentis, picturis, traditionibuſquè recognita, Federicus Cardinalis, & Mediolanenſis Archiepiſcopus &c. ſub hoc Altari decentiùs collocauit. Pridie Kalend. Iunij 1609.*

Detur iam igitur mihi, ſic tecum agere. Quemadmodum tu nullum exiſtimas creari hoc lapide præiudiciū Ambroſianæ Baſilicæ, poſſidenti iam inde ab initio Manſueti Corpus; eò minùs ego ex tua nupera inſcriptione, à Victoriana Baſilica tumulum Satyri abradi poſse, putabo. Quod enim ais, aliquam fortè Manſueti partem in prædicta Sancti Stephani Eccleſia reperiri: vide, an conueniens fuerit, á prudentiſſimo Præſule tali parti indi nomen *Corporis, diligenter recogniti ex antiquis monumentis, picturis, ac traditionibus*, & an ob

eam iuſtum fuerit, inferri eiuſmodi lapide appoſito, præiudicium Ambroſianæ poſſidenti partem maiorem. Nõ exeo Ambroſiana, quin reminiſcar, introſpexiſſe me in ea Pagano Petraſanctæ inſcriptum tumulum; apparuit omninò vacuus, abſquè vllo humati cadaueris veſtigio. Calimeri Epiſcopi, & Martyris oſſibus frui nos Mediolanenſes pro comperto habemus, vt potè qui apud nos Martyrio coronatus, ſepultus, ac ſæpe agnitus fuit. At ecce tibi Brixiæ in D. Clementis propé Altare Chriſti è Cruce pendentis, marmor eloquitur: *Hic iacet Corpus S. Calimeri Epiſcopi & Martyris*, & ne alium à Mediolanenſi putes, adſtipulatur temporis ſupputatio, *qui obijt anno Domini CXCII.* Patauij Ædem D. Auguſtino ſacram curioſè aliquando perluſtrabã. Incidi in magnificè extructam, atquè exſculptam molem ſepulcralem; quæ me docebat, inibi iacere M. Antonium Querengum, Præſulem nobilitate, eru-

ditione,

ditione, ac rebus geſtis clariſſimum, quem tamen ſciebam deceſſiſſe Romę, ibiquè ſepulturæ mandatum. Aduenit fortuitò Flauius Querengus M. *A*ntonij fratris filius, publicus in ea Vniuerſitate legum Interpres, quiquè Cenotaphium poſuerat. Percontor, quam ob rem Patruum Romæ tumulatum ſuadere conetur, Patauij requieſcere? At ille, honoris ergò hæc excitari, reſpondet; cæterùm nil referre, quod mentiantur inciſi lapides præſentiam exuuiarum, dummodò defunctorum veras laudes enuncient.

Dies me deficiet, ſi omnem huiuſmodi Epigraphem; carentem exuuijs, quas indicant, velim referre. Pleriquè ſibi ipſis tumulum, inſcriptionemquè, dum eſſent in viuis condidere; letho præuenti; extorres, ſepulcro peregrino conditi, in eum deferri non potuerunt. Alij illuſtribus, ac benè merentibus viris iuxtá patrios ſarcophagos elogia erexêre, illi licet alibi mortalia

exuerint. Alij voluerunt, aut eis fortuna arriſit, vt haberent, non vno in loco monumenta. Sæpe lapides trãſlati immotis lipſanis eorum, quos celebrabant. Sæpius è contra multorum oſſa ſublata, ſolis Tabulis, quin etiam ipſis Arcis, & capſulis vacuis, relictis. Soli tandem tituli interdum excitati ab eis, quorum è re eſſet, habere corpora, quæ non habent. Ex quorum numero vereor, ne ſit tabula hæc tua; fateris enim anno 1588. poſitam; quo tẽpore iam per Sanctum Archiepiſcopũ Carolum Ambroſianis inſpectantibus (vt ſæpius diximus, & dicturi ſumus) Satyri corpus in Victoriana Baſilica repertum, itemquè reconditum fuerat. Qua ex re cum id conſequi debuiſſet, vt, ſi lapis ille, iam ibi fuiſſet, auferretur; contra euenit, vt poneretur. *At* vide quám iniurie: ſiquidem dubietate pendente, an requieſceret in *A*mbroſiana Satyrus, nullus lapis, qui id affirmaret erectus eſt; ambiguitate

perem-

perempta ob eius inuentionem in Victoriana, tùm demum Ambroſiani erecto lapide ſibi aſciſcunt. Ita quod litē componere debebat, adauxit. Secùs Brixiæ accidit in re ſimili noſtris temporibus. Diſſidebant duorum Cęnobiorum Religioſi viri de Sanctis Fauſtino, & Iouita, eius Vrbis Tutelaribus. Horum Corpora proprio quiſqué Templo adiudicabat. Illi quod dicerent, inibi neci, ac tumulo datos; hi, quod inde ad ſe translatos autumarent. Et quia inter Hiſtoricos non conueniebat de tempore, & auctore translationis, illi translatione denegata, circumlationem tantummodò neſcioquam, ad populi pia ſtudia concilianda, admittebant. Rem ad concordiam reuocaturus Brixiam proficiſcitur occaſione viſitationis S. Carolus Borromæus. Proceſſum, vt vocant, inſtituit. Verùm in nodos inextricabiles impingens, hærere coactus eſt; donec recentiori æuo, Æde ampliori

Io. Pet. Gluſſ. in Vita S. Car. lib. 6. cap. 7.

per

per Caſſinates Monachos exædificata, dum in eam è veteri ſacræ aſportandæ Reliquiæ detegerentur, ab Epiſcopo Marino Georgio hæc SS. Martyrum corpora viſa, ac agnita ſunt. Exinde nulla apud quemquám ſuperfuit dubitatio; ipſi met, qui poſſidere arbitrabantur, manus dedere, ſublatis è medio tabulis, quæ contrá docere videbantur. At noſtro in caſu altercantur de corpore Satyri Ambroſiana, ac Victoriana Baſilica. Fit inſpectio accurata. Reperitur Corpus apud Victorianos accitis Ambroſianis in teſtes. Hi nihilominùs lapidem ſtatuunt, aſſerẽtem á ſe ipſis Satyrum poſſideri. Ita felicior fuit Marini Georgij, quam Caroli Borromæi auctoritas, ac diligentia.

Quod ſi comminiſcaris, inter prædictam inſpectionem, & tempus poſiti lapidis, tuum Satyrum clariùs emerſiſſe: petam abs te (quod alias etiam feci) quo inquirente? quo teſte? & quibus docu-

documentis rem alias dubiam mihi ſis ſuaſurus. *Authenticum enim* (hanc doctrinam refers ex alijs, & recipis tu numero 595:) *non accipitur pro eo, quod ſe ipſum probat, vel ex ſe habet auctoritatem, ſed pro eo quod multorum atteſtatione comprobatur*. Scio quidem ſæpius in Sacello & circa, perquiſitũ & effoſſum, ſed quod aliquid ad rem faciens repertum ſit, neſcio.

Eluceſſet ampliùs, gratis, & ſine fũdamento in eo lapide de D. Satyro factam eſſe mentionem, ſi te referentem audiemus, qua occaſione ſit poſitus. Priùs autem totam inſcriptionem, quę in vno, eodemq; indiuiſo lapide eſt, ob oculis ponam.

Sub hoc Altari in Arca marmorea iacet
glorioſum Corpus Sancti Satyri,
fratris Sancti Ambroſij.
Item in alia Capſa lapidea in eodem Altari iacent corpora Sanctorum Martyrũ Caſti, & Polimij, nec non aliud Sanctũ

Corpus,

Corpus, cuius nomen ignoratur, cum plurimis aliorum Sanctorum, & Sanctarum Reliquijs.

Nec plura. Ais tu, fideliſſimum Scriptum reperiri & in Archiuio Ambroſiano, & in *Arcula* (ſic eam vocas, quæ per te capit tria SS. Corpora, & plurimas alias Sanctorum, & Sanctarum Reliquias) qua Corpora huiuſmodi continentur tenoris ſequentis. *Anno Milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio Dominus ..... Salaminæ Epiſcopus, ac in Diœceſi Mediolanenſi Viſitator Apoſtolicus, in ipſa Viſitationis functione, pio accenſus deſiderio, Corpora SS. Martyrum, Confeſſorum, & Virginum, in eâdem Diœceſi conſiſtentium, viſitandi, in omnibus Eccleſijs ſumma diligentia inquirens, proprijs oculis ea inſpicere, ac adorare voluit. Porrò inter cætera, ſub Altari Sacriſtiæ Eccleſiæ Sancti Ambroſij Maioris, ex parte Monachorum, SS. Martyrum Caſti, & Pelimij corpora reperit. Quibus verè agnitis, & exinde aliquandiu adoratis, in ſuis proprijs locis ea reliquit. Cæterùm cum eorum*

Ceno-

Cenotaphia penè corroſa eſſent carie, Anno milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo Menſis Ianuarij die ..... Admodum Reuerendo Domino Iuuenali Orabonio, huius Monaſterij, & Eccleſiæ Sancti Ambroſij Maioris Abbati, ſupradictorum SS. veneratione moto, placuit hac in capſula piè, debitoquè cultu, proprijs manibus, cereis accenſis, Monachis hinc inde flexis genibus adſtantibus, ea reponere, vt tantò ſæpius dignentur pro ſuis deuotis apud Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum veniam implorare in Cœlis, quò attentiùs eorum Corpora venerantur in terris. Addis tu de tuo penu; tunc ea Caſti, & Polimij Corpora fuiſſe in proximum Sancti Satyri Sacellũ reſtituta, é quo antea fuerant illuc, ſcilicet in Sacriſtiam, translata; & tunc temporis in eo Sacello conſiſtam Tabulam illam. Quod ais *conſitam*, intelligendum eſt etiam tunc primo inciſã; non enim iam alibi poſita potuit huc transferri, quippè quæ apertè mentita fuiſſet, aſſerens ſub eodem Altari Satyrum, & duos Martyres iacere dum

ille (per te) in proprio Sacello , hi in Sacriſtia nec in capſa lapidea, ſed lignea, requieſcerent.

Ego verò hîc primum inficiabor (niſi aliunde ſuadeas) peractam tunc eſſe illam è Sacriſtia in Sacellum reſtitutionem, ſiquidem *fideliſsimum* ſcriptũ nullum, vt par erat, de ea verbum facit . Mehercle enim valde intereat, commendare poſteritati, ſtetiſſe Monachos *flexis genibus, & hinc inde* & *cereis accenſis*, nihil autem intererat, quod ſciretur, Sacra Corpora fuiſſe è loco ſuo in Sacellum Satyrianum translata, ibiquè recondita. Vlterius teſtatur *fideliſſimum* ſcriptum ſolos Caſtum , & Polimium in capſula repoſitos; quid mihi narrat lapis, in eadem aliud Corpus, & plurimas alias Sanctorum, & Sanctarũ Reliquias contineri? Quis inuenit? Vbi? quo tempore? quis ſimul iunxit? En quantam anſam habeam credendi, lapidem illum recentiòrem eſſe anno 1588., quò autem recentior eò apud me

minoris

minoris auctoritatis. Ad hæc cur *fideliſsimo* Scripto, & per te Archetypo, non vertam vitio, quod in eo, & nomē Præſulis inuenientis, & dies mutationis capſulæ deſideretur? Lapis verò, ſi ob repoſita in eo Sacello Caſti & Polimij corpora, erectus eſt, cur Satyrum ſtatim, & primo loco vſurpat? Quod nouum indicium, aut recēns repertum documentum, Ambroſianos coegit, vt poſt annum duodecimum ab agnito Satyro in Victoriana, lapideo edicto teſtarentur Orbi, ſe Satyrum poſſidere. Rurſus ſi per te non poteſt haberi Satyrus, quin habeatur & Victor, cur lapide Victorem quoquè non vendicarunt. Tandem cur Caſtum & Polimium Martyres dicunt, ſi re bene perpēſa (etiam per te eo num. 305.) in Martyrum numero collocari nequeunt? Vides quanta ſuſpicione laboret Epigraphe, præter ea, quæ (validiora vtiquè) animaduertimus face antecedenti. Hic ſi ſemel euicero inconſideratè

aliquid in marmore exſculptum eſſe, ſtet marmor, vt vis, marmoris fides labet, neceſſe eſt.

Tranſeo nunc ad monumenta, membranea, & papyracea. Initio porrò nõ inficiabor, elapſis temporibus aliquatenùs circumuagaſſe opinionẽ de exiſtentia Corporis D. Satyri in Ambroſiana. Suadebant ſibi inſcij veritatis, amantiſſimos inuicem fratres nec tumulo voluiſſe ſeparari; & hoc quidẽ fuerat Ambroſij primum conſilium, vt ſuprà demonſtratum eſt; audiebant, vnum ex præcipuis eius Baſilicę Sacellis de nomine Satyri appellari: videbant, feſtum eius diem ibidem magis ſolemniter celebrari; gratum erat Ambroſianis Monachis, & Canonicis, ita à fidelibus credi, eamquè credulitatẽ data opera confouebant. Ex aduerſo Victoriana Baſilica non adeó multos patrocinantes, habebat, aliquantò longiùs ab Vrbe aberat; deferbuerat antiquitùs illi præſtitus cultus, ac venc-

tio: ſiue hominum refrigeſcente pietate; ſiue calamitatum, & bellorum, quibus Vrbs noſtra frequenter afflicta eſt, iniuria; deciderat, inquam, à vetere gloria, in quam etſi reſtituere conatus ſit circa annum Domini 1000. Arnulphus Archiepiſcopus, reſtauratione, ditatione, & Monachorum additione: his tamen non longè poſt abolitis, iacere per aliquod ſæcula neglectam, neceſſe fuit. Hæc igitur ſi vera ſunt, vt veriſſima, mirum videri non deberet, ſi aliqui ex Veteribus rumorẽ qui diù viguit, ſecuti, Satyri Corpus ſcriptis ſuis Ambroſianæ Baſilicæ adiudicaſſent.

At iam antiquam membranam, quã primo loco opponis audiamus. Refers illam num. 470. *Reperitur in antiquis Romanorum Sanctorum Pontificum Regiſtris, quod viſitantes Eccleſiam Beatiſsimi Patris Ambroſij, in qua eiuſdem Corpus, nec non Corpora Sanctorum Martyrum Prothaſij, & Geruaſij, Sanctæ Marcellinæ Virginis, et ſororis*

ris

ris Sancti Ambroſij, & Sancti Satyri, requieſcunt, & cum eis glorioſa Sanctorum Corpora Caſti et Polimij, et multa alia Sanctorũ corpora omnium peccatorum ſuorum bene confeſsi & contriti veniam conſequantur.

Vt reſpondeam, non inquiro de fide membranæ, mihi valdè ſuſpectæ; ſileo è Romana Vrbe acciri teſtimonium, Mediolani autem ignorari, qui diſtinctiùs Pontifices Indulgentiam impertiuerint, non obijcio, amplam nimis, ac indefinitam eſſe talem Indulgentiã, qualis concedi non ſolet, imò eandem videri cum ea, quam Italico ſermone continet libellus à te ſæpe memoratus de Indulgentijs, & Corporibus SS. Vrbis Mediolani, antiquior quidem, ſed typis Mediolanenſibus anno 1515. commiſſus: *Si troua in li antiqui Regiſtri de li Santi Papi, che in la Gieſa de Santo Ambroſio ſono ottomille anni, & altre tante quarantene de Indulgentie ogni lunedi per tutto l'anno. Ancora in li altri di ottocento anni, & altre tante quarantene de Indulgentie, le quali nouamente*

il

il Summo Pontefice Alexandro Sexto ha confirmato, & altre tante ne ha adgionto. (Vides, quanta ſuſpicione laboret illa, ſi cum hac poſteriore conferatur) His, inquam, non vtor; nec aſſumo, veriſimile eſſe, ex formula ſupplicationis deſumptum tenorem Indulgentiæ, in ſupplicatione autem Ambroſianos enarraſſe, quidquid eis libuerit; tantum dico, nihil inde euinci, quia ſenſus eſt, Marcellinam tàm Ambroſio, quàm Satyro fuiſſe germanam: & ſic non recenſetur Satyrus tanquám requieſcens in Ambroſiana ſed tanquàm frater Marcellinæ. Hoc ordine colloca verba, & carebis omni difficultate *Requieſcunt Corpora SS. Martyrum Prothaſij, & Geruaſij, & Sanctæ Marcellinæ Virginis Sancti Ambroſij, & Sancti Satyri ſororis.* Alioquin enim, quomodo Sanctus Satyrus non erat ante Marcellinam collocandus? Nonnè hic eſt prudens Eccleſiæ mos, vt viri ante fœminas recenſeantur?

Indicium, quod monumentis interſeris,

ſeris; de antiquo vſu, Canonicis Ambroſianæ, & Ordinarijs Metropolitanæ communi, conueniendi quotannis ad celebrandam ſolemnitatem Sancti Satyri in hoc eius Sacello: iſtud, inquã, indicium, quod manifeſtum tu vocas, mihi valdè infirmum, & obſcurum eſt. Exhibebat Clerus honorem fratri ſui Sanctiſſimi Patroni Ambroſij: vni itẽ ex præcipuis Sacellis Ambroſianæ Baſilicæ, id præſtabat, quod Monachi nõ valebant, obſtricti accedere ad aliam Sancti Satyri Eccleſiam, in interiori vrbis exiſtentem: nunquid inde conſequens eſt, ibi Satyri corpus adeſſe? Imò inconſequens eſſet, Monachos ad exterum Templum ſolo Satyri nomine decoratum itare, dum domi Eccleſiam nomine, & exuuijs Satyri inſignitam, haberent. Patere tamen vlterius indicij huius beneficium eſſe commune. Sic enim ratiocinabor Clerus huiuſmodi ad ſolemnitatem Satyrianam celebrandam eius Sacellum aduen-

uentabat, eo quod ſibi ſuaſum haberet, inibi eius Corpus requieſcere, ergò ſi aduentare deſtitit, indicium eſto, talem euanuiſſe opinionem; alioquin enim cur tanti Tutelaris fratrem conſueto honore fraudarent?

Aliud quoquè indicium, quod ſæpe aſſumis, & ais, alijs non videri leue, hic exſufflabo; quandoquidem nullus aptior fortaſſe ſe offert locus. Indita nimirùm de nomine Satyri appellatio ei Sacello, quod aliás Sancti Victoris ad Cęlũ aureũ dicebatur, videtur in gratiã Sanctarum illius Reliquiarum proceſſiſſe. Verùm fraternè moneo te, vt parcè hac coniectatione vtaris, & alijs potiùs eam relinquas. Te enim, qui Satyri Corpus ſemper hic fuiſſe contendis, coarctabo, vt doceas, quo tempore variata fuerit appellatio, & qua de cauſa; cur nõ ſemper Satyriana viguerit, & cur á nobiliore, Victore ſcilicet per te ibi humato nomenclatura, non ſit perpetuò retenta. Rogabo etiam;

cur nulla inibi Satyri effigies ab antiquo exculpta, aut depicta viſatur, & alia ſexcenta, ex quibus certè expedire te nequibis. Alijs occurram, dicendo: quod animaduerterint recentiores, valdè condecens eſſe, in magna Sãctiſſimi Patroni Baſilica reperiri angulum aliquem de nomine dilectiſſimi fratris appellatum, & ideó Sacellum hoc de eius nomine dictum voluerint.

Gualuanæo Flamma, quem tertiò loco educis, vteris vtilibet. Amplecteris enim ſi é re tua eſt; reijcis, ſi tuis placitis aduerſatur. Hanc mihi quoq; da veniam, ne teſtimonium eius cogar pro irrefragabili admittere. *Feſtum*, aiebat, *Sancti Satyri leuitæ, & Confeſſoris die 17. Septembris. Iacet ad Sanctum Ambroſiũ. Fuit eius frater*. Falſus eſt per te, quod Satyrum dixerit leuitam, merè enim laicus fuit; falſus, quod alium Victorẽ inuenerit, quem Satyro in hoc Sacello aſſociaret loco Victoris Mauri, nimirum Victorem Sanctæ Coronæ ſociũ;

quis

quis me prohibet dicere etiam tertio deceptum, quod iuxta aliquorum ſuæ tempeſtatis ſententiam iacere ad Sanctum Ambroſium Satyrum dixit? Latebat eò temporis Satyrus; nunc, quãdoquidem emerſit, & in Victoriana agnitus eſt, aliter ſcriberet, ſi eſſet in viuis. Ita fecit Philippus Ferrarius (ab hoc enim me in præſentiarum expediam, ne iterum dum ſexto loco pro te illum allegas, congredi neceſſe ſit;) qui licet in priore Catalogo SS. Italiæ, ad vitam Sancti Satyri adnotauerit, eum in Ambroſiana requieſcere, cum eiuſdem Sanctorum Italiæ Catalogi *poſteriore, ac maturiore cura* (ita tu fateris) *Indicem texeret, Satyri Corpus iacere dixit in Eccleſia Sancti Victoris, et abſquè dubio ad Corpus, in qua pariter ipſius Victoris conditum eſſe corpus, in eodem pariter Indice poſtmodùm aſſeruit*. Eodemquè reſponſo dimittam, ne dum libellum Italicum, antiquitus manuſcriptum, typis verò Mediolanẽſibus datum, vt ſuprà dicebam anno

1515. recenſentem Indulgentias,& SS. Corpora, in varijs tàm Vrbis, quam Diœceſeos Mediolanẽſis, Eccleſijs exiſtentia, verùm etiam Calẽdarium illud Ambroſianum membraneum anni 1381. Siquidem in recentioribus ſimilibus libellis, & in Calendarijs ab annis octoginta, & deinceps, conſtanter Satyri Corpus Eccleſiæ Sancti Victoris adſcribitur. Legi in eo, quo tu vteris, *Sancti Satyri Confeſſoris Duplex die xvij. Septembris In Sancti Victoris*. Imò, ſi tibi videris num. 465., exiſtentiam Corporũ SS. Geruaſij, & Prothaſij in Ambroſiana rectè aſtruere, cum Ioanne Antonio Caſtellioneò faſc. 6. ex conſtanti Ambroſianorum, ſacra dirigentiũ Codicum ſtylo, in feſto SS. Martyrũ Prothaſij, & Geruaſij ſic ſe habente: *Proceſsio, & Miſſa Pontificalis ad Sanctum Ambroſium cum oblatione ciuitatis*; quæ notæ, inquit Caſtellionæus, *tùm in Rubricis Diariorum Eccleſiæ Mediolanenſis collocantur, cum iiſdem diebus recolitur eorum SS. memo-*

ria, quorum Corpora in Sacris illis Ædibus re ipſa obdormiunt, & quieſcunt. Nec aliam ob cauſam ſolent Magiſtratus publici commodi, et Vniuerſitates, ſiue Collegia opificum Mediolanenſis Vrbis, ſtatas, & aniuerſarias Oblationes quaſdam peragere ad Sanctorum Ædes, niſi ob Vrbis ipſius vota publica, vel peculiarem eiuſdẽ cultum, Diuorum illorum Corporibus impendendum; quæ illis in Templis eſſe pro comperto habent, ſi, inquam, quicquam roboris habet tale argumentum, oſtende, quãdo vnquam tale quid, aut adnotatum in Calendario, aut patratum in Ambroſiana fuerit, feſto Sancti Satyri die. Addo, quod ſi per te neceſſe eſt eidem loco adiudicare Satyrum, & Victorem, deſipit autem qui eos ſeparat; obijcere mihi non potes vetuſta Calendaria; quia ſolo Satyro vendicato Ambroſianę, Victorem Portianæ relinquunt, atquè ita non magis pro te ſunt, quâm pro nobis.

Supereſt Cardinalis Baronius, qui dum ex Epitaphio Marcellinæ, quod

Face

Face II. retulimus, collegit, ſinè dubio ipſam iuxtà, & apud Sanctos fratres Ambroſium, & Satyrum, ſepeliri maluiſſe, quám ſepulcris condi Patrijs, ais tu, ſententiam pro te protuliſſe. Ego verò nil tibi ſuffragari conſtanter affirmo: cum enim alibi Satyrum ad læuam Martyris Victoris tumulatum afferat, nec vnquám dicat Victorem in ipſa Ambroſiana iacere, (quem non ignorabat á Scriptoribus in ſua Portiana recondi) verba illa *iuxta & apud Sanctos fratres* noluit intelligi de ea vicinitate que eiuſdem Baſilicæ ambitu, ſed ſolùm, de ea quæ ijſdem Mediolanenſis Ciuitatis ſuburbijs continetur. Sufficiens enim eſt ea proximitas ad ſeruandam antitheſim, maluiſſe ſepulcro condi externo apud Sanctos fratres; quam proprio Romano apud ſuos Patres. Nec fortaſſis ignorabat Baronius, parum diſtare Portianam, vbi ſepultus Satyrus, ab Ambroſiana, vbi ſepultus Ambroſius: ita vt non im-

pro-

propriè ſe locuturum exiſtimarit ſi diceret, Marcellinam iuxtà, & apud Sanctos fratres voluiſſe tumulari.

Retulimus, quæ pro te profers, monumenta, & Scriptores. Scriptoribus nunc tuis (nam noſtra monumenta ſuo loco videbis) paucis, & de re nondum comperta teſtantibus, opponamus noſtros, plures, eorumq; aliquos, vel oculatos, vel abundè certioratos, poſt patefactos Victorianæ Baſilicæ ſacros tumulos.

Bonauentura Caſtellionæus non recens Hiſtoricus in vita S. Archiepiſcopi Caſtritiani de S. Ambroſio incidentur locutus, ſic habet. *Ritrouato per diuina riuelatione il corpo del Martire S. Vittore naſcoſto da Materno Veſcouo e ſtato occultato da Maſsimiano ſino a Teodoſio Imperatore nel luogo, doue hor ſi dice S. Vittorello* (eſt ibi nunc Minorum Capucinorum Eccleſia, & Conuentus, qui dicitur vetus) *leuatolo con le proprie mani lo ripoſe in vn lauello di Pietra nella Baſilica Portiana ſotto l'-*

altare

altare maggiore . Non paſſarono molti meſi; che mancando di viuer frá noi Satyro ſuo fratello, lo coricò con man ſua a lato di S. *Vittore in quella medeſima ſepoltura .* Scio,quo ad ea, quæ de inuento ab Ambroſio eò loci Victore recenſet, á quibuſdam non recipi, verùm quod ijs, quæ ad Satyrũ ſpectant, omnes ſubſcribant,facit diligens circunſtantiarum enarratio; quæ fidem rei geſtæ conciliant. Tibi enim diuinare opus eſt, quæ Baſilica ſit illa, LONGE aut NON LONGE ab Ambroſiana nunquam indiuiduo nomine deſignata, in qua tui Scriptores dicunt ab Ambroſio tumulatum Satyrum; nos diſertè docemur Portianam fuiſſe.

Ioannes Antonius Caſtellionæus Antiq. Baſ. Vinc. p. 1. Faſc. 3. *Negare non auſim,* inquit, *Satyrum qui ante diuum Ambroſium fratrem mortem obijt iuxtà Sancti Martyris Victoris Corpus in eius Baſilica, quæ Portiana dicebatur, fuiſſe ab ipſomet Ambroſio tumulatum; à quo & Epitaphium accepit,*

quod

quod ex Dulingo non ignobili ſuorum temporũ Scriptore, eó libentius adſcribo; quo, veluti obſignata Tabella, diſsidium neſcioquod omnino tollatur inter Ciſtercienſes & Oliuetanos Monachos temerè ſubortum pridem. Et in ſuperioribus loquens de Corpore D. *A*mbroſij ait, *Sentientibus alijs, reperiri in Baſilica* Sancti *Victoris Mauri, vbi & Corpus S. Satyri germani D. Ambroſij fratris cum nonnullis alijs incognitis Diuorum Epiſcoporum, et Martyrum Corporibus à Sanctæ memoriæ Carolo Cardinale Archiepiſcopo collocatum fuerit*.

Ripamontius Hiſt. Eccleſiaſt. Med. Decad. 4. lib. 3. *Hoc tempore Patres Oliuetani Diui Victoris Ædem, quæ Baſilica Portiana antiquitùs dicta fuit, in eam amplitudinem extulerant, qua ſtat hodie, viſiturquè id Templum. Cumquè iam abſoluto opere, transferri SS. Reliquias, ex vetere Ædicula in eam Baſilicam oporteret, voluit Cardinalis, id quàm apparatiſsimè fieri; pompamquè duxit ea Religione, & cura, qua cæleſtia ſemper hæc pignora proſequi ſolitus fuit. Eius pompæ celebrandæ*

cauſa, cum locũ in quo ſita erãt oſſa inſpiceret, reperit etiam D. Satyri Corpus, ſumma iucũditate animi, ob inclytam S. Pontificis Ambroſij memoriam; cuius ille frater, magna ſemper apud populum Mediolanenſem memoria celebratus fuerat. Tantoquè effuſius ſtato die adfuere omnes, ipſequè Carolus nocte, quæ diem eum ſequebatur, ad ſacra oſſa excubias egit.

Ioannes Franciſcus á Baſilica Petri (Carolus deinde Epiſcopus Nouariẽſis) in libello, quem iuſſu eiuſdem D. Caroli Archiepiſcopi, ineunte anno 1576. nõdum facta SS. Corporum Victorianæ Baſilicæ inſpectione, ſcribebat de præcipuis Mediolani Eccleſijs, ac de Sacris Reliquis in ipſis exiſtentibus, Satyri Corpus non niſi Victorianę Baſilicæ aſſignabat. Imò cum per eandem opportunitatem, (fuit hæc poſt exactum Romæ Iubilæi annum 1575. extenſio Iubilæi ad hanc Vrbem noſtram) iuſſiſſet S. Carolus, in ſingulis Eccleſijs ſuſpendi viſendas Tabellas, continentes hinc Reliquiarum inibi

exi-

exiſtentium regeſtum, inde preces, quibus apté eæ Reliquiæ colerentur, Victoriani in ſuis, quæ vſquè in hanc diem proſtrant, Corpus Sancti Satyri recenſuerunt, eundemquè in proprijs litanijs ab immemorabili inuocant. Quamobrem nec leue puto argumentum, quod ex Commemorationibus ſeu ſuffragijs communibus ad finem Sacrarum Laudum, & Veſperarum, ſtatis diebus, ex præſcripto Breuiarij publicè decantari ſolitis, deſumitur. Non enim fas vnquam fuit ijs intermiſceri, quæ nec ſunt de Tutelaribus, & Patronis, nec de requieſcẽtibus in Ecceleſijs, vbi canuntur. Ab integro igitur ſæculo cum altero dimidio, ex quo poſſidemus nos Oliuetani Sancti Victoris ad Corpus Ædes, hoc ritu Satyrum veneramur, eumquè quod maius eſt, ab ijs, qui ante nos Eccleſiam curabãt, accepimus; hiquè ab alijs, vt initium inuenire non detur. *Antiphona.*
Beatus Victor Chriſti Martyr, vna cum San-

cto Satyro, aliјſque Sanctis in hac Eccleſia requieſcentibus meruerunt à Domino coronam perpetuam.

℣. *Exultabunt Sancti in gloria.*

℞. *Lætabuntur in cubilibus ſuis.*

Oremus.

Propitiare Domine famulis tuis per S. Martyris tui Victoris, atquè Confeſſoris Satyri aliorumq; SS. qui in præſenti Eccleſia requieſcunt merita glorioſa, vt eorum pia intercesſione ab omnibus protegamur aduerſis. Per Dñm &c.
Quod ſi hoc pignore verè deſtituimur, quis mendacia periculi, & ſcandali plena induxit? quis ſubinde vtitur? quis tolerat?

Redeo ad Ioannem Franciſcum, is enim primùm, quæ audierat ab initio, poterat referre. At poſtquàm vidit oculis ſuis, poſtquàm perſpexit, & manus eius contrectauerunt (ſiquidem vnus fuit ex vocatis in teſtes à D Carolo, dum Sacra Corpora Victorianæ Baſilicæ inſpiceret) vbicunquè occaſio ſe ſe obtulit, Satyrum nobis fidentiùs con-

confirmauit. Statimque in altera prædicti libelli impreſſione, ſi tamen eſt altera, de noſtra Victoriana ſermonem habens *Appellatur*, ait, licet etruſco ſermone, *hac Eccleſia Sancti Victoris ad Corpus, eo modo, quo & alia quadam, ad differentiam aliarum Eccleſiarum eiuſdem nominis, in quibus tamen corpus non iacet. Quin & corpus Sancti Satyri iam exploratum videtur hic eſſe, vt recenter, & antiquorum librorum auctoritate, & inſcriptionibus in ſepulcro viſis cognitũ eſt.* Quamobrem Eccleſiolæ Sancti Satyri in Ambroſiana enumerans Reliquias, *Habent*, inquit, *ibi multa SS. oſſa nuper reperta* (inter quæ, ſi oſſa etiam Satyri cliẽtes tui reperiſſent, vtiq; Scriptori huic ſignificaſſent, quò ea poſſet nominatim recenſere) *& in Sacriſtia inuenerunt Corpora, quæ ipſi arbitrantur eſſe SS. Diaconorum Caſſi, & Polimij.* Perpende qua formidine de rebus á ſe non viſis, nec ſibi aliundè certis loquatur. Nunquid ſimile de noſtro Satyro vnquam pronunciauit?

Quod

Quod in Vita Sancti Materni idem á Baſilica Petri aliquid de Sancto Satyro in Portiana repoſito ſcripſerit, tu es auctor, verbis paulò poſt referēdis. At ſatis ſit eūdem iterum audire in Vita S. Caroli lib. 3. Cap. 6. *Arcæ lapideæ erant plures* in Victoriana *oſsibus plenæ circum Altare, ſub terram collocatæ. Vna erat Arca ſub Altari altiùs quàm aliæ defoſſa; in ea Corpora SS. Victoris Martyris, & Satyri Sācti Ambroſij fratris erant. His igitur omnibus primo legitime recognitis &c.* Et poſt pauca, *Veſpere autem reuerſo Carolo ſericis illæ pannis inuolutæ præſentibus Notarijs in capſas plumbeas reconditæ ſunt. Quæ Victoris, Satyriquè erant, ſeparatim in Altare maius Eccleſiæ ſunt illatæ.* Aſſentire igitur huic Auctori; quia teſtis oculatus; quia in dignitate conſtitutus (tali enim viro fidem adhibendam omnia iura præſcribunt) quia tandem Sacrarum Hiſtoriarum peritiſſimus, & magnum ętatis noſtrę decus, & lumen. Hoc quippè Elogio decoratur à Ioanne Antonio Caſtellionæo

Antiq.

*A*ntiq. Baſil. Vincent. p. p. Faſcic. *6.*

Petrum Galeſinium, qui cum prædicto Ioanne Franciſco alter teſtis á Diuo Carolo vocatus, inſpectioni memoratæ interfuit, amico veluti claſſico ciebam, vt pro me militaret; cum ecce á te præuentum, & mihi præreptum video. Sic enim tu *Galeſinius in ſuo Martyrologio, quod biennio poſt* inſpectionem *edidit in lucem in Annotationibus de S. Victore ad octauam Maij diē inquit:* Cuius translationi, quam religioſiſſimus Cardinalis, idemquè Sanctiſſimus Archiepiſcopus Mediolani anno 1576, celebrauit, nos interfuimus. *De Sancto autem Satyro cum decimaſeptima Septembris die feciſſet mentionem, certè quidem poſteà inter ſuas Notationes nihil prorſus de ipſius Corpore, vbi nam quieſceret, homo cæteroqui nec obliuioſus nec indiligēs adiecit; quod quidem ſilentium nonnihil etiam ſuſpicari nos coegit.*

Papę quám es de facili ſuſpicioſus. Imò quám leuem ſuſpitionem velles pro ſolido argumento venditare. Tenebatur

nebatur nè Galeſinius, quoties de aliquo Sancto, cuius translationi interfuiſſet, mentionem faciebat, de ipſa quoqué translatione habere ſermonẽ? An quia cum Victore, & Satyro, alij inſuper Sancti translati ſunt, Datius, Mirocles, Prothaſius, quoties eos recenſet non memorata translatione ambiges de exiſtentia eorum in Victoriana? *A*n etiã quoties ſciret, vbi requieſcerent Reliquiæ Sanctorum, quos refert, ſentiebat ſe deuictum indicare? Non id Galeſinio conſilium fuit: ſed Sanctos ſuos, & locum eorundem dormitionis expromere; cęterum prolixa, litigioſa, & periculi plena res fuiſſet de poſſidentibus eorum Reliquias diſputare. *A*udias quám ſobriè de Satyro. *Sancti Satyri Confeſſoris: De quo Sanctus Ambroſius in ſermone de obitu fratris* (& tacuit homo cętero qui nec obliuioſus, nec indiligens Ambroſium alibi pluries de eo fuiſſe loquutum) *Mombritius item, & Tabulæ Mediolanenſes*. Quid, quod referens

Mentionem habuit do eo, teſte Dung. etiam in lib. de Reſurr. & Parad.

ferens, ſe translationi Sancti Victoris interfuiſſe, dum non exprimit factam fuiſſe in Portiana, ſi idem de Satyro iteraſſet, non ob id doceretur aliquis, vbi nam Satyrus requieſceret? Ad hæc, ſi data opera, vt tu ſuſpicaris celatum voluit, ſe translationi Satyri interfuiſſe, cui poterat probare? cum non modò res publicè facta, verùm etiam in publicas & ſolemnes Tabulas relata ſit. Satis igitur habuit ſemel memoraſſe translationem, in Ædibus Victorianis peractam, ne videretur putidiuſculè idem refricare; ſiquidem translationis conſcios non poterat latere, alios quoquè Sanctos, & præcipuè Satyrum ſimul cũ Victore fuiſſe tumulatos; ignaris autem nil intererat, iterum de trãslatione verba facere. At cogita tecum Galeſinium, vocatum in teſtẽ ad inſpectionem, & agnitionem Corporum in Victoriana quieſcẽtium, præcipuè autem Victoris, & Satyri, de quibus poterat eſſe aliqua dubitatio. Acquieſcit

per te agnitioni Sāčti Victoris, eidemquè interfuiſſe gloriatur; ſi ergò in reperto inſimul Satyro aliquā ambiguitatem habuiſſet, reclamaſſet vtiquè, ſe dubie rei teſtem eſſe nolle: dixiſſet, ſe Victorem agnoſcere, fateri, complecti, de Satyro diuerſam eſſe rationem, adhęſiſſent ei Ciſtercienſes præſentes, aut certè nouorum Sanctorum indagatur alium hunc Satyrum (quippé oſſa inſcripta nomine Satyri reperta ſunt, vt in publicis Documentis) diuerſum ab Ambroſij fratre, in ſuum Catalogum adſcripſiſſet. Quorum nihil cum fecerit, nullum hæſitationis ſignū reliquit, ex quo tu cogaris ſuſpicari.

Paulo Morigiæ, qui in Sanctuario Mediolanenſi luculenter Sanctum Satyrum in noſtra Victoriana requieſcere affirmat, iungis tu, quò mihi laborē, ac moleſtiam ſubtrahas, tantum Scriptorum agmen, vt ſufficiens fuerit te à tua opinione deterrere; ſi maluiſſes tot tamquè eximios viros ſequi, quám á

com-

communi ſemita aberrare. Ais enim. *Cæteri poſtea Scriptores, qui Sancti Cardinalis, & Archiepiſcopi Caroli vitam poſteris tradiderunt, in ea fuere ſententia; vt Satyri pariter, ac Victoris Corpus eidem ipſius ad Corpus Eccleſiæ adiudicarint. legatur Carolus à Baſilica Petri lib. 3. Cap. 6. prope finem: præterquàm quod aliquid etiam ſcripſit in Hiſtoria Mediolanenſi, cum de Sancto Materno Archiepiſcopo ageret.* Mihi verò ſatis ſit vnum indigitaſſe diligentiſſimum, & omnium, quæ ſcripſerit, oculatum teſtem, Ioannem Petrum Gluſſianum lib. 3 Cap. 9. Sed ſuperaddendi ij omnes, qui de Ambroſiana ad ipſius ſplendorem & ornamentum ſcribentes, in enarrandis Reliquijs in ea exiſtentibus, Satyrum non enumerant, enumeraturi profectò, ſi aliquid probabilitatis ſupereſſet, eam Satyri exuuijs perfrui. Vide Ioannem Baptiſtam Villam opuſculo de ſeptem Eccleſijs Vrbis Mediolani, & alios.

Vniuerſum tamen hoc agmen claudat is, qui mihi pro omnibus reliquis

 eſt,

eſt, qui certiſſimam pollicetur victoriam, quiquè nec tibi quidem poteſt diſplicere. *At* quis? Quis nam? Excogita hominem quantùm vis rei huic idoneum, vincam tamen expectationē tuam. Tu, tu ipſe ille es. Exhorruiſti? Proh veritatis inſuperabilem vim. Hæc á te etiam nolente ſuffragium extorſit. Tua opera vſus eſt, qui recenter Lectionarium Ambroſianoromanum prodire iuſſit Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. D. Alphonſus Litta Mediolanēſis *Archie*piſcopus; tu ſeduium in eo laborem impendiſti; tu recognoſti, tu noua, ac vetera (vt credere par eſt in negotio tam ſerio) ad trutinam rationis, ac veritatis reuocaſti; ſpeciatim autem á te accepiſſe interſerendas lectiones Sancti Satyri Typographus ipſe ſocio audiente, mihi teſtatus eſt. In eo ergò ita inſcripſiſti Sancti Satyri officium, eò modo, quo & aliorum Sanctorum, qui ſine controuerſia in Victoriana ſunt inſcribuntur .. *Sancti Satyri*

Con-

Confeſſoris duplex die xvij. In Sancti *Victoris. Oratio Deus qui nos, lect.* Satyrus S. *Ambroſij &c.* Facem tu ergò geſtans, alijs vt hanc veritatem tandem agnoſcant, præi.

FAX NONA.

Affulgens Victoris tumulo in eius Æde; nec non Ambroſij exuuias in illa quærens; eiuſdemquè Ædis ſtructuram illuſtrans.

Reliquum iam tandem eſſet, vt qua ratione clareſcere nuper fecimus in Victoriana Æde ſepulcrum Satyri, oſtendendo ſcilicet, quàm parùm obſint Scriptores pauculi, quibus illud alibi ſtatuere viſum eſt, & afferendo eos, qui apertè á nobis ſtant; eâdē, inibi contumulatum Victorem commonſtraremus. At ſicuti veriſſimum eſt, á nemine ante, vel poſt te, ſacroſanctum theſaurum ex propria *ad Cor-*

pus nuncupata Baſilica, voce, aut calamo fuiſſe ſublatum; ita, declinato labore, qui penè eſſet infinitus, referendi Authores, ſat erit affirmare (& procul ab hyperbole erit) quotquot de hac re ſcripsère, indubiè eidem illum adſcripſiſſe; ex quo perſpicere valeas, quantum difficultatis tibi ſuſceptum ſit, dum aduerſus exundantem tanti atramenti amnem, contrarium tenens curſum, eniteris.

Non me latet, animum tibi ſubijſſe: vt ſuaderes, firmatam tuam ſententiam interpretatiuè ſaltem, à Gualuanæo Flamma fuiſſe; ſiquidem ais, ab ipſo poſitum Victorem aliquem in Satyriano Ambroſianæ Sacello, quod Sancti Victoris ad cęlum aureum appellabatur, & hoc verè, & rectè; falſum tamē, inquis, in eo, quod fuerit arbitratus, eſſe Victorem Sanctæ Coronæ ſocium; qui apud S. Euſtorgium requieſcit; nō autem noſtrum, cui Sacellum dicatum erat, quiquè illic muſiuo opere medius

etiam

etiam nunc adſtat. Sed enim expiſcari intentionem, quoties obſcura ſunt verba, non inutile eſt; contrà, cum verba dilucida ſunt, ineptum eſſe ſuper intentione digladiari, iura omnia ſtatuerunt. Gualuanæus porrò, vt tu ipſe fateris, diſertè ſemper Victorem Maurũ in ſuo *ad Corpus* Tẽplo collocauit; quod autem in eo Ambroſianæ Sacello muſiuus repræſentetur, ac de eius nomine Sacellum aliquando dictum ſit, nõ ſunt apta ſatis indicia ad Corpus vſurpandum; ita enim quicunquè Diui alicuius Cappellam, aut Iconem haberet; te patrono, eiuſdem quoquè exuuias euinceret.

Agè verò, quemadmodum ſi vnicũ Authorem huic tuo commento patrocinantem reperiſſes, videreris tibi, opinionem de exiſtentia Victoris in Ambroſiana non futiliter conſtituiſſe; ita patere á nobis in medium adduci ſententiam, quod minùs recedat à veriſimili, ac probabili, Ambroſium eſſe in

Victo-

Victoriana, quám Satyrum in *A*mbroſiana. Scio te ad hæc exhorreſcere, cõcuti, ſupplodere, excandeſcere; ſcio qualiter ſuccenſueris in eum, qui dixerit eſſe hanc aliquorum opinionem. At ſi verè opinio aliquorum eſt, pluresquè haber auctores, & ſectatores, quã tua, cur iraſceris? Opinari arbitrariũ quid eſt, interdici vix poteſt, quinimò, vt rectiùs loquar, neceſſarium quid eſt: gignit ſiquidem omnis probabilitas, Philoſopho teſte, opinionem. Non pigeat igitur iterum audire Ioannem Antonium Caſtellionæum, nuper, ideſt anno 1625. ſcribentem. *A plerisquè ætatis noſtræ hominibus dubitatur, num hæc præclariſſima Diuorum patriæ noſtræ Tutelarium pignora*, ſanctorum ſcilicet Ambroſij, Geruaſij, & Prothaſij Corpora, *in Baſilica Ambroſiana nunc etiam reperiantur: contrà ſentientibus alijs, ea reperiri in Baſilica Sancti Victoris Mauri &c.* Animaduerte autem, quot nam huic opinioni ſubſcribãt, cũ dicatur plurali numero (qui, vt potè

Ariſt. 1. Priorum.

P. Part. Antiq. Baſil. Vinc. Faſc. 6.

Nn inde-

etiam nunc adſtat. Sed enim expiſcari intentionem, quoties obſcura ſunt verba, non inutile eſt; contrà, cum verba dilucida ſunt, ineptum eſſe ſuper intentione digladiari, iura omnia ſtatuerunt. Gualuanæus porrò, vt tu ipſe fateris, diſertè ſemper Victorem Maurũ in ſuo *ad Corpus* Tẽplo collocauit; quod autem in eo Ambroſianæ Sacello muſiuus repræſentetur, ac de eius nomine Sacellum aliquando dictum ſit, nõ ſunt apta ſatis indicia ad Corpus vſurpandum; ita enim quicunquè Diui alicuius Cappellam, aut Iconem haberet; te patrono, eiuſdem quoquè exuuias euinceret.

Agè verò, quemadmodum ſi vnicũ Authorem huic tuo commento patrocinantem reperiſſes, videreris tibi, opinionem de exiſtentia Victoris in Ambroſiana non futiliter conſtituiſſe; ita patere á nobis in medium adduci ſententiam, quod minùs recedat à veriſimili, ac probabili, Ambroſium eſſe in

Victoriana, quám Satyrum in *A*mbroſiana. Scio te ad hæc exhorreſcere, cõcuti, ſupplodere, excandeſcere; ſcio qualiter ſuccenſueris in eum, qui dixerit eſſe hanc aliquorum opinionem. At ſi verè opinio aliquorum eſt, pluresquè habet auctores, & ſectatores, quã tua, cur iraſceris? Opinari arbitrariũ quid eſt, interdici vix poteſt, quinimò, vt rectiùs loquar, neceſſarium quid eſt: gignit ſiquidem omnis probabilitas, Philoſopho teſte, opinionem. Non pigeat igitur iterum audire Ioannem Antonium Caſtellionæum, nuper, ideſt anno 1625. ſcribentem. *A pleriſquè ætatis noſtræ hominibus dubitatur, num hæc præclariſſima Diuorum patriæ noſtræ Tutelarium pignora*, ſanctorum ſcilicet Ambroſij, Geruaſij, & Prothaſij Corpora, *in Baſilica Ambroſiana nunc etiam reperiantur: contrà ſentientibus alijs, ea reperiri in Baſilica Sancti Victoris Mauri &c.* Animaduerte autem, quot nam huic opinioni ſubſcribãt, cũ dicatur plurali numero (qui, vt potè

Ariſt. 11. Priorum.

P.Part. *Antiq. Baſil. Vinc. Faſc.* 6.

indefinitus, latiſſimè poteſt extendi) *contrà ſentientibus alijs &c.* tu equidem tale quid de Victore ſcribere non valuiſti.

Nec deſideratur fortaſſis ad eã opinionem aliquatenùs ſtabiliendam coniectura aliqua. Exploratum eſt, in ſepulturæ electione varium fuiſſe Ambroſij animum. Diximus primùm decreuiſſe Satyro fratri contumulari, hãcquè mentem aperuiſſe, dum eidem męſtiſſima peroratione parentaret. *Procedamus*, inquit, *ad tumulum; para hoſpiti cõſortium, & quemadmodum hic omnia nobis fuere communia, ita illic quoquè ius diuiduum neſciamus*. At verò dum ſequenti tempore Sanctorum Geruaſij, & Prothaſij Corpora reperiſſet, ijsdemquè ditatã, Baſilicam ſuam conſecraſſet, diximus, priore mutato conſilio apud Sanctos Martyres recondi exoptaſſe. Quanquàm ſi exactiùs ipſius verba pendantur, videtur ſtatuiſſe ſibi in propria Baſilica tumulum, antè ſacrorum Corpo-

rum

rum inuentionem, ac proinde indepẽdenter ab illis. Agens quippè de Sãctis Martyribus ſub vnico tunc, nunc autem primario Ambroſianæ Baſilicæ Altari, tumulandis; *Succedant*, inquit, *victimæ triumphales in locum vbi Chriſtus hoſtia eſt. Sed ille ſuper Altare, qui pro omnibus paſſus eſt. Illi ſub Altari, qui illius redempti ſunt paſsione. Hunc ego locum prædeſtinaueră mihi, dignum eſt enim, vt ibi requieſcat Sacerdos, vbi offerre conſueuit; ſed cedo ſacris victimis dexteram portionem. Locus iſte Martyribus debebatur. Condamus ergo Reliquias ſacroſanctas &c.* Illud ergo, *hunc ego locum prædeſtinaueram mihi* indicat prędeſtinaſſe priuſquám Sacra Martyrum Corpora ibi tumulanda reperiſſet; tùm ex modo loquendi, qui aduerſatiuus eſt, tùm quod tempus longè iam præteritũ ſignificatur; tùm ex ratione, quæ affertur, *dignum eſt enim, vt ibi requieſcat Sacerdos, vbi offerre conſueuit*; quæ quidem ratio á Martyrum præſentia, vel abſentia non pendet. Quamobrem non elicerẽ

Epiſt. 54. ad Marcell.

ex his verbis idem, quod alij; ſcilicet ex Martyrum inuentione, eorumquè repoſitione in Ambroſiana, elegiſſe ſibi Ambroſium in ſua Baſilica, & apud Sãctos Martyres ſepulcrum; ſed potius oppoſitum ſuſpicarer; videlicet, retractaſſe tunc, quàm anteá habebat, intẽtionem quieſcendi in Ambroſiana, idquè ob debitam Sanctis Martyribus reuerentiam. Nam apertam retractationem præſeferunt hæc verba, *hunc locum prædeſtinaueram mihi ſed cedo ſacris victimis*; dicturuſq; fuiſſet Ambroſius, *hũc locum predeſtinaueram mihi ſoli, nunc autem ſimul tumulari ſat erit*; ſi in eo adhuc permanſiſſet priori decreto. Cuius rei eſt etiam indicium illa, ab humilitate dictata ratio; *locus iſte Martyribus debebatur*, ac ſi diceret, *in locum Martyribus debitum æquum non eſt me inferri*. Cæteroqui enim parùm intereſt, læuum eſſe, an dextrum, ſi vterqué quieſcit ſub eodem Altari; in quo qui hac ex parte dexter eſt, ex alia læuus inuenitur.

Qua-

Quapropter non ait, *cedo ſacris victimis dexteram, mihi ſiniſtram reſeruo*; quid enim magni officij obſequijuè declararet ſe præſtiturum Martyribus Ambroſius, dexteram permittendo? Nonnè aliàs dextera ipſorum iuris erat? Verum totum locum ex affectu reuerentiæ cedere, multum eſt. Idcircò quod ait, *cedo ſacris victimis dexteram portionem* nil addẽdo de læua; probabile eſt, non eſſe accipiendum de poſitione, ſeu ſitu; (non enim latinè dicitur *vade ad dexteram portionem vel ad ſiniſtram portionem*, cum portio nihil aliud quám *quotam* ſignificet, nec ad latus, manus, aut ſitus, vnde relationes dextri & ſiniſtri ſumuntur vnquam referatur) ſed de eo, quod melius dari poteſt, locus ſcilicet melior, ac nobilior; vt de dextris in cæleſti gloria philoſophantur Theologi, nil læuum inibi admittentes.

Quicquid tamen de hoc ſit, cum illud denegari nequeat, Ambroſium in electione tumuli nõ fuiſſe ſemper eiuſ-

dem

dem mentis, anceps etiam nunc videri poteſt, quam tandem voluntatem in extremis conſtitutus executioni mandandam præceperit. Et licet Paulinus eius ęui Scriptor, & oculatus teſtis hęc habeat; *Corpus ipſius portandum ad Baſilicã Ambroſianam, in qua poſitus eſt &c.* poſſent ita accipi, vt tunc quidem in Ambroſiana poneretur, non tamen pro perenni ſepoltura, ſed inde aliquo poſt tempore aſportandus. Aduerſus te verò validiſſima eſt hæc coniectura, qui Satyrum poſt inuentos, ac tumulatos in Ambroſiana dicata Martyres, obijſſe arbitraris; tibi enim ea Ambroſij intẽtio erit poſtrema, qua fratri contumulari voluerit; ac proinde iam non cum Martyri bus in Ambroſiana quieſcit, ſed vbi tandem Satyrus fuerit.

Alteri indicio occaſionem dediſſe Sanctiſſimum Archiepiſcopum Carolum, Cardinalem Borromæum, aliquibus creditum eſt; ſiquidem rumor adhuc viget, illum in agnitione Sacrorũ

Cor-

CorporumPortianæ Baſilicæ ſub anno 1576. de qua ſæpiùs; cum neſcio quid reperiſſet arcanum,ſub anathemate vetuiſſe, ne deinceps detegeretur, nec locus ille vlteriori diſquiſitioni ſubijceretur. Proferat idem Caſtellionæus, qualis eſſet ſua tempeſtate rumor. *Addunt*, inquit, *in Baſilica D. Victoris Mauri Mediolani ſaltem glorioſum D. Ambroſij Corpus, apud S. Satyrum fratrem nunc temporis reperiri; vel ex illa dirarum obnunciatione à D. Carolo profecta, qua cauit, ne quis ſepulcra illa reſerare in poſterum auderet, ea fortaſſe ratione permotus, ne ſolitus cultus, & antiqua veneratio, Baſilica Ambroſiana antiquitus conciliata, ob corpus in ea tanti Doctoris, & Vrbis noſtra Patroni exiſtens imminueretur*. Et licet in ſequentibus hęc diluat Caſtellionæus, aſſumendo, commentitium eſſe hunc de anathemate rumorem, & á D. Carolo nihil de corpore Ambroſij muſſitatum, hoc quidem cenſemus ob allatam rationem, veriſſimum, ſed interpoſitam fuiſſe anathematis commi-

minationem, conſtans apud nos traditio eſt. Dicam ingenua fide quod á quibuſdam ex noſtris, qui prædictæ Sacrorum Corporum retectioni cum D. Carolo interfuere, accepi. E latere *A*ltaris Portianæ veteris, ad læuã, poſt ſublatam imminentem lapideam Arcam, *A*rca altera longè inferiùs poſita apparuit, referta oſsibus, quæ nõ niſi Sanctorum, quemadmodum & cętera omnia, exiſtimata ſunt; Dum ea reſeraretur indicia admirationis in vul tu Caroli obſeruata ſunt; iſquế vix perſpectam iuſsit occludi, cauens anathemate ne vlterius aperiretur; quod ne audenti quidem facilè contingeret, voluit ferreis laminis, eliquato plumbo, fixiſquè clauis circumſepiri. Tùm noui ædificij magiſtro aduocato, rogauit, an ei vires animiq; ſuppeterent ad *A*rcam trahendam in nouam Baſilicã, abſquè læſionis, aut reſerationis periculo. Annuit *A*rchitectus: eiquè res ex voto euenit, atquè hodie *A*rca in Sacello

cello ſcuroli, vt vocant, ingredientibus ad dexteram obijcitur, pari cum cæteris venerationi propoſita.

Igitur quod D. Carolus noluerit, oſſa hæc ad inſtar aliorum extrahi, ab omnibus inſpici, pia ſupplicatione circumferri: & tamen impenſiùs illis cauerit, & diligentius cuſtodierit, locum deinde, ac cultum cum cæteris tribuerit, quis non videt; indicari per hæc aliquid ſingulare; mirabile, & arcanum? Quis autem alius negotium faceſſere poterat Carolo, quàm Ambroſius, vt perinde ſatiùs exiſtimauerit Corpus illud ignotum adhuc latitare, quam oculis, & cognitioni vniuerſorum exponi?

Hæc quidem, amice lector, particularia, ac minuſcula, vti nos enarramus, non recenſentur in publicis Tabulis, quas in retectione, & translatione Sacrorum Corporum confectas habes ad calcem huius opuſculi. Facti tamen ſubſtantia, & id, vnde cæ-

tera conijcere poſſis, non deſideratur. Quippè de Arca hac; eſtq; quæ quarto loco recenſetur ita legitur. *In eodem latere eiuſdem cornu, à parte tamen inferiori, fuit reperta Arca ſatis magna, oſsibus & Reliquijs Sanctorum plena, quæ intacta, & illeſa relicta ſunt; ordinatumque fuit, quod ſub illa forma, qua reperta erat, cuſtodiretur; adhoc tamen iniunctum fuit, vt laminis plumbeis, ac clauis fixis clauderetur.* Tùm de illa magnum ſilentium, donec aliarum Reliquiarum delatione, ac repoſitione pluribus enarrata, ſubditur. *Pariter etiam in ipſo Scurolo, in angulo à parte dextra, intrando Cappellam dicti Scuroli, repoſita reperitur illa Arca marmorea ſatis magna, quæ vt ibi relatum fuit, reperta fuerat propè Altare veteris Eccleſiæ Sancti Victoris à parte Epiſtolæ plena oſsibus, & Reliquijs, quæ arbitrantur Oſſa Sanctorum, & quæ Arca ita intacta ordinatum fuerat in eo loco reponi, pro vt legitur ex prædicto inſtrumento, rogato per præfatum Reuerendum D. Benedictum Cittadinum Protbonotarium, & pro*

vt

vt ſuprà. Quod autem ſileant Inſtrumenta Caroli peculiarem inſpectionẽ, & iuſſa; id, non niſi data opera, & ipſo annuente, factum arbitramur; eoq; magis in ſuſpicionem adducimur; alioquin enim quis credat in re tám graui; oculatiſſimi pręſertim in ſimilibus *Archiepiſcopi* præſentiam, & auctoritatem non fuiſſe interpoſitam?

Sed hæc de Ambroſij ſepulcro mera indicia ſunt. Si enim alij eo diuites ſint; per nos non ſurripietur; per nos, inquam, noſtris exuuijs, ac præcipuè Victoris ac Satyri, ſatis ſuperquè contentos. Quos, quia hucuſque contutati ſumus, dabit veniam lector, ſi pro eorum etiam Æde pauca verba obiter expendamus. Aſceterium Victorianum adiuimus nos Oliuetani 1507. nec ſatis amplum, nec commodum ſatis, vnaquè Templum, ſacris quidem oſſibus diues, at antiquitate ipſa, vti venerabile ac ſuſpiciendum, ita nonnihil humile ac ſuboſcurum. Maiores

noſtri, quæ eorum ſolertia fuit in re domeſtica adminiſtranda, noui Cęnobij ſtructuram, ſubſtollendam in eam amplitudinem, ac Maieſtatem, qua hodie viſitur, aggreſſi ſunt. Nondum dimidium ſtabat, cum ecce tibi ſuſurrantium ſcommata; Monachos proprij domicilij commodis, & quidem magnificè inſtitere, de Ædæ ſacra, vetuſtate labente, non cogitare. Itaquè maturanda fuit noui etiam Tēpli (quod aliàs prętermiſſum non fuiſſet) erectio, &, quæ ex illa conſequebatur, veteris demolitio. Mirum eſt, opus vndequaquè laudabile vt oculos aliquorum offenderit; quamquè exagitauerit inter alios Bonauenturam Caſtellionæum, qui recentis Eccleſiæ qualitates, veteriſque iacturam inconſolabilibus lacrymis defleuit. Dixit, ſcriptiſq; etiam conſignauit, ad pręſeruandas hortorū amænitates, ac delicias veterem Ædem ſolo æquatam, nobilium marmorum copiam, venerande antiquitatis tro-

phea

phea miſerrimè deiectam; muſiua egregiæ artis opera amiſſa, nullaqué ratione habita Ambroſianorum rituum, ad quos tota compoſita videbatur, inſtauratam indecentibus, ſuperfluiſque diſpendijs alteram, nec tamen Romanis ſanctionibus accomodatam, quin potius Hebraicas obſeruationes olentem, vt potè oſtijs ad orientem ſolem conuerſis; Altari primario ad occidentem. Sic ibi patefactum limen, pedibus omnium proterendum, vbi tot ſæculis tot Sanctorum Corpora quieuerunt, ſic veneranda Portianæ Baſilicæ extinta nomenclatura, ac memoria, vt Victorianæ Abbatiæ ſpecioſus titulus de protrita antiquitate triumpharet.

Hæc eſt magnarum actionum infelix conditio; otioſorum, ac inuidorum oblocutionibus, &, quod caput eſt, tot ſententiarum, ac iudiciorum diuerſitatibus eſſe obnoxias. Omninò verum eſt *Feriunt ſummos fulmina montes*. Finge veterem Portianam adhuc ſtare cum

nouo

nouo Cænobio, quis valeat nos ab innumeris linguarum aculeis contutari? Zelo tamen Caſtellionæi (adfuit quippè nobis pro aſſerendo Satyro non ſpernendus teſtis) ignoſcamus, & in maioribus noſtris ſummam animi magnitudinem, ſummamque pietatem, qua molem, ad admirationem vſquè conſpicuam,excitauerint,ſuſpiciamus. Cæterùm ſi eo in pretio antiquitas habenda eſſet, vt ei manus inijcere religio ſit careremus infinitis propemodùm commodis, & ornamentis. Hæ ſunt humanarum rerum conſtantes viciſſitudines, vt veteribus noua ſubſtituantur; deplorandæ nimirùm ſi in deteriùs contingat, ſi autem in melius, cum lætitia excipiendæ; aliàs doleat, qui huius genij eſt, poſt inuentas ariſtas eliminatam glandem; & in vilia mapalia poſthabitis vrbibus ſe recipiat.

Quod autem ait Caſtellionæus, ad viridarium ſeruandum noſtros illos rem infiniti ſumptus aggreſſos fuiſſe; nemi-

nemini probabit. Sumptus quidem ij fuerunt, vt Lancellottus Hiſt. Oliuet. lib. 2. memoriæ conſignauerit, *fabricæ Præfectum ad Generalem Præſidem ſcripſiſſe, extructæ Ædis impenſam, lapidum, calcis, lignorum, ac ſimilium materie non ſupputata, ad ſeptuagintaduo millia, centum, vnam & triginta libras aſcenſuram*. Quid deinde ornatuum, picturarum, aurei gypſeique operis, ſaellorum & ſimilium acceſſerit, quiſquè conſpicit. At ea tàm ingenti pecuniæ vi nonnè amænitates ſibi comparaſſent maiores, quàm per Ædium ſtructuram, aut demolitionem præſeruauerint? Dicam planè, deliciarum, & animi cauſa ædificaſſe, ſed ſuas delicias Ædem Deo Sanctiſq; dignam, exiſtimaſſe. Niſi fortè indicare voluerit Caſtellionæus, vt viridario conſulerent, per quod in Ædem fuerat introeundum, aditum alibi patefeciſſe. Tunc enim dicemus, ea ex parte conſtitutum oſtium, qua & Vrbis pulchritudini, & populi commodo proſpiceretur, è re-

gione

gione ſcilicet amplæ, ac regiæ viæ; quod ſi viridarium præcipua Templi facies reſpexiſſet, iam non in communem vtilitatem, ſed in ſolius olitoris vſum diceretur erectum. Ijſdemquè de cauſis primarium oſtium ad ortum ſolis verti neceſſe fuit, contra communius quidem cæterarum Ædium exemplum; nõ tamen exactè adeò obſeruatũ, aut tám rigorosè preſcriptum, quin earum quám plures ad Ortum videamus. Non me latet: ad ortum precari vetuſtiſſimum eſſe ritum: á Sanctis vſq; Apoſtolis ad nos, non interrupta traditione, deductum; eademq. de cauſa principes Aras eò verſus reſpicere: ſed calleo identidem, cum nimia id eſſet aliquando ſedulitate ſeruatum: ſuperſtitionis periculum irrepſiſſe, ac proinde loco, & tempore fuiſſe interdictum, vt ex VII. Sancti Leonis 1. ſermone conijci poteſt. Imò quod mireris, Romæ, quam vrbem ſacrorum Magiſtram veneramur, non deſunt Ædes

Ortum

Ortum proſpectantes; inter quas clariſſima omnium Vaticana Baſilica. Idem Mediolani viſitur, vbi etiam ſuperioribus temporibus inſignis Collegiata, non vti prius erat, ſed inuerſo ordine reſtituta eſt: Vt igitur nullus eſt, qui contra eam oggamiat, poterat ſic ignoſci Victorianæ; cuius nomenclatura (vt rem tandem abſoluam) eadem eſt, ac veteris; vtramquè enim S. Victoris ad Corpus appellari, mos fuit. Portianæ porrò nomen exoletum, iam diù ab ore populi excidit; ac ſolùm in Hiſtoriæ monumentis ſeruatur. Abbatiæ verò nuncupatio vetus eſt, nequaquám á nobis inducta; & Cœnobio potiùs conueniens quám Templo; in quo tàm, quàm in veteri, Ambroſiano ritu Sacris operamur.

FAX DECIMA

Demonſtrans nil probabilitatis habere delationem Capitis S. Victoris noſtri ad Vrbem Volaterranam.

PRopugnauimus hactenùs totum inuictiſſimi Martyris Corpus, putaſſeſnè, Lector, adhuc nobis ſingulariter pro Capite eſſe dimicandum? Ita eſt. Non deſunt, qui acephalum iam dudum iacuiſſe contendant in Portiaua Victorem; ij nimirùm, qui eius Caput Volaterris Etruriæ Vrbe, in Cathedrali Eccleſia aſſeruari, ab annis quingentis, & vltrá, aſſeuerant. Sed Deo grates, nec minùs deſunt, qui loco vnius Capitis amiſſi, tricipitem faciant.

ciant. Eſſe enim, qui, tribus diuerſis in locis, eius Caput exiſtiment ſe poſſidere, Aduerſarius noſter refert, nec improbat; vt fictam Geryonis fabulam iam iam pro vera nobis venditare velle videatur. Benè ſit. Nihil amittemus; Ex tribus enim, vnum ſaltem nobis incolume ſupererit, At quia mihi non niſi cum illo res eſt, illius dumtaxàt verba referam, & expendam.

Eodem igitur ſui operis num.19. cum iterum de Catalogo Sanctorum Italię Philippi Ferrarij ei ſermo excidiſſet, ſubdit: *Idem tamen Oliuetanis eiuſdem Baſilicæ* (ſcilicet S. Victoris ad Corpus) *Monachis placere non poteſt, quod octaua Maij die de hoc noſtro Victore locutus, in Annotatione adiecit, eiuſdem Caput Volaterris conſeruari, ac ſumma celebritate coli; Calliſti Papæ II. munus Vrbi datum. Quod ipſum conſtanter item repetit, ac prætereà eius Eccleſiæ monumentis; & Raphaelis Volaterrani Commentarijs confirmat, tertiadecima Maij die in Catalogo Sanctorum, qui non extant in*

Martyrologio Romano. Monachi namquè illi, tàm Victoris, quàm Satyri etiam Caput ſibi vendicant integrum, quin etiam, excepto mento inferiori, vtrumquè demùm anno Chriſti ſupra milleſimum ſexcenteſimo ſecundo, die Martij vigeſima tertia, coram Baſilicæ Metropolitanæ tunc Decano, Antonio Seneca, & alijs, ſolemniter extraxerunt ex Arca, in qua Sanctus ille Carolus olim repoſuerat, & in duobus Argenteis Capitibus collocarunt, vt inter ſacras geſtari proceſsiones, populoquè ad venerationem certis diebus exponi poſſent. Qua de re publicum etiam extat inſtrumentum, tunc temporis à Iacobo Antonio Cerruto Curiæ Archiepiſcopalis Notario, confectum, & à nobis itidem lectum. Eiuſdem porrò Victoris Caput ſibi quoquè Ambroſiani Monachi vendicant, ſed maiori tamen parte mancũ, ſicut oculati quoquè teſtes nobis illud eſſe affirmarunt. Quamobrem hoc fortè faciliùs cum Eccleſia Volaterranenſis credulitate componi poſſet.

Fateor carentiam tanti Capitis nobis placere non poſſe, ſi vera eſſet. At

tibi

tibi cur placeat, qui nobiſcum Patriam habes eandem, qui charitate Patriæ iacturas illius tibi quoquè debes æſtimare communes, quiq; aduerſus eos, qui ſacrarum Reliquiarum theſauris expoliare conantur, tutari illam obſtringeris? Huc animi tui dotes, huc ſingularem eruditionem tuam, huc ſtylum, huc ſtudia omnia confer, non autem ad certa ambiguitatibus ſuffuſcanda, liteſque iam pridem ſopitas, ac penè emortuas ſuſcitandas. Verùm ſi tui cauſa tibi diſplicere non poteſt, eorum, quorum, patrocinium ſuſcepiſti rationem habe; quandoquidem Caput Victoris Mauri Volaterranis obtinentibus, clientes tuos eo carere neceſſe eſt. Quod igitur ſibi vendicant? Partem, inquis, & ſatis modicam; reliquam quæ deeſt, Volaterranis diſſidio compoſito permittunt. Ita nè caduceatorem agis, iuribus partium ignoratis? Vnde ſcis Volaterranorum Ca-

put eſſe mancum? Siquè: non integrum arbitraris, vidiſtin, qua parte ſit mutilum? Num cum ea parte, quam obnent *A*mbroſiani, compoſuiſti, vt ex vtraquè vnum fieri tàm de facili affirmares? Oporteret equidem tibi exploratum eſſe, Calliſtum Pontificem á tuo hoc Capite quotam abſtuliſſe, & inde tibi maius aliquod lumen affulgeret circa aſſertam Sancti Victoris in tua Baſilica exiſtentiam. At diuinare non eſt probare.

Qua propter hinc primò tuum iſtud Caput expungam; ſiue enim Volaterrani, ſiue nos obtineamus, tibi nihil ſupereſt poſſidendum. Nec putes, nobiſcum quoquè litem poſſe componi, eò quod inferius mentum deſiderari in noſtro Capite adnotaueris (id quod ſuſpicor á te doloſe factum, ne ſpes alijs omnino decidat partem aliquam poſſidendi) Nam ſi totum retuliſſes, vt par erat, Inſtrumenti paragraphum, clareſceret non deſiderari mentum, quia

deſit;

deſit; ſed quia cum reliquo Corporis in *A*rca relictum eſt. Sic igitur Inſtrumentum. *Repertum eſt inter ſacra Oſſa permulta Sancti Victoris in vna parte Caput eiuſdem Sancti Victoris, ſerico rubeo inuolutum. Quibus ſic recognitis præfatus Reuerendiſsimus Seneca, vna cum multo Reuerendo Patre Abbate ſupraſcripto partes minores Capitis, mentum ſcilicet, & aliquos dentes à reliquo Capitis ſeparatos, ſerico eodem inuolutos repoſuit in eadem capſa, loco vbi prius erant. Pars verò Capitis ſuperior integra, mento excepto, fuit velo rubeo nouo inuoluta, & repoſita in theca argentea &c.*

His igitur, & alijs ſimilibus tabulis, docemus de ſacri Capitis poſſeſſione; quo legitimo authenticouè Documento euinces de tuo? Quis vnquam *A*mbroſianę Baſilicę Reliquias recenſens, inter eas Caput Victoris Martyris enumerauit? Naſcuntur nè tibi in hortis, aut ex templò erumpunt hæc numina? Quinimò ſi Victoris eſt Caput iſtud, vtiqué deſumptum eſt ex reliquo Corpore;

pore; quod per te iacet ſimul cum Satyro in Arca, latente ſub Altari Sacelli Satyriani in Ambroſiana, de qua ſatis diximus facibus antecedentibus; at Corpus illud verentur Ambroſiani nomine Victoris nuncupare; non erat igitur cur nuncuparent Caput. Rurſus; interrogarem libenter Ambroſianos, an talé Caput haberent, á reliquo detractum ſegregatumq; Corpore, quo tempore Diuus Carolus inſpectionem, ac translationem SS. Corporum Victorianæ aggreſſus eſt anno 1576. an non. Si primum reſpondeant, iterum percuntabor cur Diuo Carolo non ſuggeſſerint, ſe Caput quoddam, quod Martyris Victoris Mauri exiſtimabatur, inter ſuas Reliquias enumerare? orare igitur Sanctum Archiepiſcopum, ne inaudita parte ac non, niſi ea re benè perſpecta, velit ſibi præiudicium creari. Si verò ſecundum eligant, ſcilicet poſt illud tempus extraxiſſe; petam cur in extractione nullum

teſtem adhibuerint, nullas tabulas confecerint?

Poſtremò illud non percipio, vendicari per Ambroſianos Caput Victoris, ſed maiori parte mancum, vt oculati tibi teſtes affirmant. Siquidem quod maiori ſui parte caret, non eſt ipſum, ſed pars ipſius. Denominatio namque á maiori parte fit, ita vt non ſit dicendum, vendicare ſibi Ambroſianos Caput Victoris, ſed minorem quandam Capitis Victoris partem, eâq; ſi per temetipſum poteras inſpicere, cur in re tàm graui aliorum teſtimonio niteris? Scilicet potuiſti introſpicere Arcam ſub eo Altari Sacelli Satyriani vbi ſunt duo Corpora; & obſeruare vnum magis abſumptum, & antiquius altero vt Face VII. tecum agebamus, Caput verò hoc extrá vagans, per eos, pro quibus ſcribis, tibi non licuit inſpectare. Scio quid coneris iſta ſcribendi ratione. Nullum non lapidem moues vt ſuadeas Victorē nō quieſcere in Æde ſua.

Dum ergo fruſtum huius Capitis Ambroſianæ, fruſtum Volaterranæ Eccleſiæ concedis, vt nihil ex eo nobis ſuperſit (oſtendamus licet totius euidentiſſimam poſſeſſionem) ſubit memoriæ lis illa mulierum, coram Salomone de filijs altercantium, & Sapientiſſimi Regis oraculo agnita mater, illiquè adiudicatus filius. Acquieſcis tu diuiſioni ſacri huius Capitis, indicium eſt, illud nullo modo ad te pertinere. Expoliat te omni iure communis omnium ſenſus, & illud adiudicat mihi, qui non patior ſcindi, commota ſunt quippè viſcera mea pro tàm charo pignore.

3.Reg.c.3.

Volaterrani igitur fruantur Capite alicuius Victoris, & Victoris Martyris; non inficior, non inuideo; tantum abnuo, eſſe noſtri Victoris. Is enim ſaltem á tempore Arnulphi II. Mediolanenſis *A*rchiepiſcopi, circa initium vndecimi ab Orbe redempto ſæculi, clauſus, latens, inacceſſus fuit. Erupit

anno 1575. dum á veteri Baſilica in nouam eſſet aſportandus, repertus eſt cum ſuo Capite, intuente oculis non conniuentibus D. Carolo Borromæo; tranſlatus eſt, iterumq; reconditus; & poſt annos aliquot Caput rurſus agnitum, & extractum atquè in argentea hemiſtatua concluſum, indubia ſemper permanente identitate. Quis retroactis temporibus per cuniculos euaſit ad Arcam, in qua quieſcebat? Quis Arcam lapideam ferro obarmatam perrupit? Quis Caput hoc abſtulit, aliudque ſuppoſuit? Imò cur opus fuit ſuppoſititio Capite, ſi nullus erat timendi locus, quod Corpus vt potè iterum profundè ſepultum, rurſus erueretur, ac breui furtum deprehenderetur? Quod enim longè poſt deprehendi poſſet, nil negotij ſuffuranti faceſſeret.

Dixi à tempore ſaltem Arnulphi II. Archiepiſcopi inacceſſas fuiſſe Victoris exuuias. Hic enim cum ſingula-

ri in Martyrem & eius Baſilicam pietate flagrarit, ipſamqué ditarit, donato iuſuper, vel etiam á fundamentis extructo Monaſterio, vt monumenta authentica, nec non Authores per te num. 19. & 213. memorati teſtantur, creditur etiā eandem reſtauraſſe, exornaſſe; atquè in eam formam redigiſſe, qua ad nos peruenit. Docebunt te ergò publicæ Tabulæ, quas in calce huius opellæ per extenſum habes, Corpus Santi Martyris cum ſuo Capite repertum eſſe in Arca lapidea, vndiquè clauſa, & ferreis circulis plumbo inſertis circumquaquè munita, tàm altè infoſſa, vt non niſi diruto Altari, & altera Arca, primæ imminente, amota, ad illud perueniri potuerit. Quomodo ergò poſt *Arnulphum* (ita enim mox clarum fiet) Caput hoc inde ſublatum eſt?

II Dono ſibi Volaterrani à Calliſto II. Romano Pontifice, publicis documentis, Hiſtoricorum teſtimonio, con-

ſtanti traditione, ac inſcriptis lapidibus aſſeuerant. Cum enim ille é Gallijs Sedem ſuam, Romanam ſcilicet Vrbem, peteret, á Volaterranis exoratus, vt illac iter inflecteret, nouamq; Cathedralem Ædem ſolemni pompa dicaret, per eam opportunitatem tale munus eſt elargitus. Tabularum illius Vrbis, quas archetypas & perantiquas exiſtimant, habeo apud me fideliſſimè exſcriptũ exemplar atque inde ad me transmiſſum Do. *Anno ſalutis ab Incarnatione D. N. Ieſu Chriſti milleſimo centeſimo vigeſimo decimatertia Indictione, decimo tertio Kal. Iunij Sanctiſsima Domus, & Altare vetuſtiſsimæ Vulterranæ Eccleſiæ, magno cum apparatu, magno faſtu, magna honorificentia, maximaq; deuotione & reuerentia, à Sãctiſsimo, & Beatiſsimo in Chriſto Patre Domino, Domino Calliſto II. Dei prouidentia, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia, Maximo Romano Pontifice, vnà cum Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, vbi etiam Reuerendiſsimus Dominus Acto, Piſanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus,*

nec

ri in Martyrem & eius Baſilicam pietate flagrarit, ipſamquè ditarit, donato inſuper, vel etiam á fundamentis extructo Monaſterio, vt monumenta authentica, nec non Authores per te num. 19. & 213. memorati teſtantur, creditur etiã eandem reſtauraſſe, exornaſſe; atquè in eam formam redigiſſe, qua ad nos peruenit. Docebunt te ergò publicæ Tabulæ, quas in calce huius opellæ per extenſum habes, *Corpus* Santi Martyris cum ſuo Capite repertum eſſe in Arca lapidea, vndiquè clauſa, & ferreis circulis plumbo inſertis circumquaquè munita, tàm altè infoſſa, vt non niſi diruto Altari, & altera Arca, primæ imminente, amota, ad illud perueniri potuerit. Quomodo ergò poſt *Arnulphum* (ita enim mox clarum fiet) Caput hoc inde ſublatum eſt?

II Dono ſibi Volaterrani à Calliſto II. Romano Pontifice, publicis documentis, Hiſtoricorum teſtimonio, conſtanti

ſtanti traditione, ac inſcriptis lapidibus aſſeuerant. Cum enim ille é Gallijs Sedem ſuam, Romanam ſcilicet Vrbem, peteret, á Volaterranis exoratus, vt illac iter inflecteret, nouamq; Cathedralem Ædem ſolemni pompa dicaret, per eam opportunitatem tale munus eſt elargitus. Tabularum illius Vrbis, quas archetypas & perantiquas exiſtimant, habeo apud me fideliſſimè exſcriptũ exemplar atque inde ad me transmiſſum Do. *Anno ſalutis ab Incarnatione D. N. Ieſu Chriſti milleſimo centeſimo vigeſimo decimatertia Indictione, decimo tertio Kal. Iunij Sanctiſsima Domus, & Altare vetuſtiſsimæ Vulterranæ Eccleſiæ, magno cum apparatu, magno faſtu, magna honorificentia, maximaq; deuotione & reuerentia, à Sãctiſsimo, & Beatiſsimo in Chriſto Patre Domino, Domino Calliſto II. Dei prouidentia, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia, Maximo Romano Pontifice, vnà cum Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus; vbi etiam Reuerendiſsimus Dominus Acto, Piſanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus,*

nec

nec non & alij quinquè Reuerendi Epiſcopi adſuerunt, dedicata, atque conſecrata eſt ad honorem Beatiſsima & Intemerata ſemper Virginis Mariæ, Matris Domini, Sanctaq; viuifica Crucis, atquè omnium inclytorum Sanctorum. In qua quidem dedicatione atquè conſecratione; idem Sanctiſsimus Papa, humilibus ſupplicationibus, & precibus Reuerendi Domini Rogerij, eiuſdē Vulterranæ Eccleſiæ Epiſcopi inclinatus, condonationem, Indulgentiam &c. Et poſt pauca *Inſuper idem Papa ad præmiſſorum memoriam Eccleſiæ, & Clero, Populoquè Vulterrano Caput deuotiſsimum, auro ornatum inuictiſsimi Martyris Sancti Victoris dono dedit, qui à Clero & Populo in Protectorem Ciuitatis Patronum humiliter ſuſceptus eſt.*

Non obijcio: quibus vitijs videatur laborare hoc Documentum, quám parum antiquitatis & per conſequens fidei præſeferat, non obſeruo quid ſit, Pontificem *Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia dici Pontificem*, ſolùm perpendo, quod mea intereſt, nullum hic eſſe Victoris

pactro-

patronymicum. Sufficit enim Martyrem eſſe; quod verò ſit noſter Maurus, Mediolani paſſus, ſepultus, & cultus non euincitur. Nec moleſtiam addit, quod lapis inſulptus, & á ſiniſtris primarij Altaris eiuſdem Eccleſiæ collocatus, enarret, Calliſtum *Mauritani Victoris ſacri Capitis auro obducti, dono Templum illuſtraſſe*; recentiori enim æuo videlicet anno 1610. appoſuit Epiſcopus Lucas Alamannius; qui ſi præallatum Documentum, vtpotè archetypum, & antiquius ſecutus fuiſſet, quemadmodum hoc ſilet, ex qua regione fuerit ille Victor, ita ipſe non potuiſſet Mauritani cognomine prænotare. Arbitror quippè ſi Documentum tale eſt, pro quali venditatur, ſcilicet cunctorum antiquiſſimum, & tũc confectum, quùm ea, quæ refert, agebantur, cætera omnia monumenta ab ipſo deſumi nec ab eo latum vnguem aberrare, debuiſſe. Probabile tamen eſt Volaterranos, cum Martyrem hunc, nomine

Victo-

Victorem cæterà ignotum, aquiſito Capite ſibi in tutelarem eſſent aſſumpturi, excurreretquè tunc Maius menſis, inſpexiſſe in Martyrologijs, aut alijs Eccleſiaſticis Hiſtorijs, quis nam per eos dies Victor, & Martyr celebraretur; repertoquè Victore Mauro, inſigniſſimo, & celeberrimo, ac fortè per Italiam vnico quoad eum menſem ſuaſiſſe ſibi, illum met eſſe, cuius Caput dono acceperant, ac deinceps eum pro tali veneratos eſſe. Si enim Calliſtus Caput Mauri, Mediolano ſublatum, attuliſſet, docuiſſet vtiquè Volaterranos, ijquè has etiam particulares circunſtantias in publicas Tabulas redigiſſent, quod non eſt factum.

Illud exploratum eſt, Calliſtum per ſe non abſtuliſſe Caput, cum Mediolanum non acceſſerit. Cluniaci quippè in Gallia ſummus Pontifex renunciatus, Pontificia inſignia renuit accipere, niſi priùs certior fieret, S. R. E. Cardinales, qui Romæ erant, electionem

Bar. ad Ann. Chriſti 119. Alphonſus Caiconius.

nem

nem prædictam ratam habituros. Hac de cauſa terreſtri itinere Romam verſus inſtituto, licet per aliquas Inſubriæ ciuitates illi eſſet tranſeundũm, Mediolano tamen ſe abſtinuit, aut quia Imperatoris ibi factiones maximè præualerent (imperabat Henricus Quintus, alijs Quartus, legitimorum Pontificum hoſtis, & Pſeudopapæ Gregorij Burdini fautor, eaquè de cauſa anathemati iamdudum, ſubiectus) aut quia bellum inter Mediolanenſes, & Comenſes exardeſceret. Italiam quippè per Alpes, quas nunc vulgò Penninas nuncupamus ingreſſus Suſam tenuit, indequè digrediens, inferiorem viam, quæ Auguſtam Taurinorum; ac Nouariam interſecans, Derthonam ducit, arripuit. Derthona Placentiam delatus, ab ea Vrbe, tranſcenſo ſtatim ad dexteram Apennino, iter Etruriam verſus inflexit. Hauries hæc ex duobus eorum temporum Scriptoribus, ex quibus alter ſi vrbem noſtram Summi

Pontificis acceſſu decoratam vidiſſet ſuis vtiquè monumentis diſertè conſignaſſet. Pandulphus quo vtitur etiam Baronius ad annum Domini 1120. per quod oſtium Italiam penetrauerit, edocet. *Et veniens ad Montem Peſſulanum proceſsit ad Sanctum Ægidium, peragratiſq; Prouinciæ partibus, & Alpium difficultate tranſcenſa ad Sanctum Ambroſium cum iucunditate peruenit* (Oppidum eſt ſubalpinũ propè Suſam) ne enim aliquis putaret, Ambroſianam Mediolani Baſilicam ſignificari, Pontifex adhuc in montanis eſt. Nam ſubditur. *Deſcendens autem ad populoſas Lõgobardiæ Ciuitates per montẽ Bar-*
Cap. 35. *donis tranſiuit in Tuſciam &c.* At Landulphus enarrans nullibi potuiſſe diſſidia, quæ ſibi erant cum Iordano Mediolanenſi Archiepiſcopo, Pontifice coram exponere, niſi Derthonæ, vbi etiam Archiepiſcopus Pontifici occurrerat, dedit ſubintelligi Calliſtum non acceſſiſſe Mediolanum. Sic ille Cap. 35. *Guerra Cumanorum, & Mediolanenſium du-*

rante,

rante, atquè eorum Pontificum & Conſulum, vidi Dominum Papam Calliſtum, & Iordanũ Archiepiſcopum cum pluribus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus viris illuſtribus conſedere in Terdonenſi Palatio, in quorum præſentia querelæ meæ cauſam protuli, ſcilicet de Domino Iordano &c. Tandem ne locus relinqueretur exiſtimandi, Pontificem Derthona mouentẽ, tunc ſaltem Mediolano tranſiſſe, ſubdit poſt pauca. *In die autem altera, quæ fuit feria ſecunda Dominus ipſe electus Papa, Terdonã exiuit, cum quo Olricus Vicedominus Mediolanenſis (Iordano Archiepiſcopo reuertente Mediolanum) vſquè Placentiam iuit.*

Cum igitur Calliſtus per ſe ſacrum hoc Victoris Caput non abſtulerit ſupereſſet vt diceremus ab Archiepiſcopo, vel alio quopiam allatum Mediolano, ac Pontifici dono datum; nec enim credibile eſt, à Pontifice auctoritatiuè iuſſum ad ſe deferri; ſiquidem nondum tota ſua vtebatur poteſtate, vt diximus, nec illi ius aliquod proceſſurum erat in ea Vrbe, quę Imperatori obſequebatur.

Verùm Iordanus, aut quiſquis ille eſſet, qui ſe rem gratam facturũ Pontifici arbitraretur, ſi ſacras Reliquias dono afferret, alias magis obuias arripere, vel latenter abſquè ciuium perturbatione valens, non adieciſſet animum ad eas, quę ſine ſtrepitu, demolitione, effoſione, qualis erat Victoris caluaria, haberi non poterant.

Veriſimilius quid ego adferã de alio Victore. Placẽtià Calliſtus breuiori itinere in Etruriam deſcendens (Baroniũ ex probatiſſimis authoribus ad prędictum annum 1120 ſcribentem ſequor) Lucam appulit. Ibi magno cum honore exceptus poſt tres dies á Piſanis exoratus, Piſas ſe contulit, Primarium Templum Aſſumptæ Deiparæ erectum, ſolemni ritu conſecraturus. Eò conuenit tota penè Etruria ac Volaterrani ſupplices expetierunt, vt dum Romam pergeret tantiſper ad eorum Vrbem declinans, Cathedralẽ Ædem pari modo dicaret. Annuit, ſecum delato Martyris

tyris Capite,quo ad celebriorem pompam,ac ciuitatem magis promerendam vteretur,Probabile ergò eſt,non aliundè quám Piſis illud aſportaſſe; ſic enim ego ratiocinor. Si ex Inſubria aut ſimili remota regione Caput hoc circumferebat, vtiquè aut ob peculiarem in Victorem pietatem,& propenſum animum; aut elargiendi cauſa, cum ſe ſe opportunitas obtuliſſet. Si primum; nũquam profectò illud à ſe abdicaſſet; ſi ſecundum, cum neſciret ſibi volaterris tranſeundum, iam in aliquo ex tot locis, quæ adierat, reliquiſſet. At frequens erat per ea tempora ItalisRebuſpublicis, Venetæ præſertim, Ianuenſi, & Piſanæ, maritimis claſſibus non minûs, ac aliæ duæ præpollenti, expeditiones in Græciam, Thraciam, Ægiptum,Africamquè adornare,indequè inter militaris gloriæ trophea abducere etiam nunc Myſteriorum noſtræ fidei monumenta, inſtrumentauè, nunc SS. Reliquias, ſiue vi ereptas, ſiue pretio à

ſacri-

ſacrilegorum manibus veluti è captiuitate redemptas. Africa preſertim ſicut Piſanæ Vrbis è regione ſita eſt, ita Piſanæ virtutis ſæpiùs area fuit, eiuſq; inſignem inter alias ſpolijſquè opimam victoriam, ſexto ante anno de Saracenis ac Mauris ad Baleares Inſulas reportatam, referunt ac extollunt Scriptores, adeò vt finitimis populis, ac præſertim Florentinis, abundè ex ijs impertiri valuerint. Quid mirum igitur, ſi ex tredecim Victoribus, pro Catholica fide in Africa peremptis (tot habentur ex Romano Galeſinioque vt cætera præteream Martyrologijs) aliquorum, vel certè vnius exuuias, quas dono Pontifici pro Volaterranis dederint, aſportauerint, quem deinceps hi Mauritanum dixerint, denominata ſcilicet Africa á regione eius nobiliore? Quod ſi ſimul cum Africa reliquum Orbis peruagari libuerit, quatuor & triginta Victores diuerſis è locis collegit Martyrologium Romanum; vnum ſupra viginti iun-

Doglionus anno 1114.

ti iunxit Galeſinius à Romano non recenſitos;nouemq;alios à neutro memoratos, ſuperaddidit Philippus Ferrarius; nec eſt improbabile aliquẽ aliũ eſſe, qui vnumquemquè eorum latuerit. Cur igitur ſolum noſtrum Caput impetitur, ſi tres & ſexaginta ſuperſunt, ex quibus quem malueris potes Volaterranis ſeligere? Dicam ego quã ob rem cuncti,qui Victores poſſident, Maurum vellent habere; nimirum hic noſter magna sẽper in veneratione eſt habitus,opiſquè ab eo cælitùs præſtitæ fama longè latèque manauit vt pluribus Face VI. proſecuti ſumus. Ea fortè ducti Volaterrani,deſiderio indulgentes, voluerunt ſibimetipſis blandiri, vt exiſtimarent, ſe Mauri Capite fuiſſe ditatos,vel etiam ſuo Victore intermedio in alterum celebriorem vota, cultumq; ſuum direxerint, eumquè ſibi in Patronum,ac Tutelarem aſciuerint. Quanquam,dum ſuo Victori appellationemMauri indiderunt,non co-

gimur affirmare eo conſilio feciſſe, vt noſter hic Mediolanenſis ſignificaretur, ſiquidem alium diem ei ſacrum ſtatuerunt, tertiumdecimū nempè Maij; non ignorantes Victori noſtro dicatū eſſe octauum. Equidem Ferrarius, licet in Catalogo SS. Italiæ, in Annotatione ad noſtrum Victorem ſub octauo die, dicat huius Caput eſſe, quod Volaterris aſſeruatur, in Indice tamen eiuſdem Catalogi, quem Indicem *poſteriore ac maturiore cura* vt ait Puricellus contexuit; ſic habet. *Victor Martyr Mediolani* 8 *Maij, Corpus in propria Eccleſia*, & immediatè alium recenſet aſteriſco prænotatum; * *Victor Martyr & patronus Volaterris* 13. *Maij*, Aſteriſcus autem ille, vt habetur in Indicis inſcriptione, indicat Sanctos, qui non ſunt in Martyrologio Romano, cùm tamen noſter Victor in eo ſit. Non eſt igitur Victor Volaterranus idem cum Victore Mediolanenſi, ac proinde Ferrarius eo Indice retractat, quod in opere pronunciarat;
Id

Id quod roboratur ex eiuſdem Ferrarij *M*artyrologio, edito ad enumerandos eos Sanctos quos Romanum *M*artyrologiũ prætērijt. In eo enim ſilet ſub octauo die Victorem *M*aurum, vtpotè in Romano memoratum, & ſub tertio decimo habet, *Volaterris in Tuſcia Sancti Victoris Martyris eiuſdem Vrbis patroni*.

Habet vterquè, Galeſinius ſcilicet & Ferrarius, ſub eo die *M*aij octauo, alium Victorẽ in *Æ*gipto paſſum vna cum Stephano & Belladio. Quemadmodum ergò ſi huius memoria eo die ſolemniter celebraretur, non ob id dicendum eſſet, huius, & *M*auri eandem eſſe feſtiuitatem, nec ille cum hoc eſſet confundendus, quantò minùs id faciẽdum eſt, cum noſter & Volaterranus diuerſos ſibi vendicant dies? Tertius decimus quippè noſtro Victori non conuenit ob mortẽ quæ contigit octauo; nequè ob ſepulturam, quæ quartodecimo peracta eſt, nec ob aſſertã do-

nationem, aut auſpicatum patrociniũ; quia aut die vigeſimo, quo Templum; & Altare dedicata ſunt, aut paulò poſt hæc acciderunt, vt perpenſis Tabularum verbis liquidò conſtabit. Dicitur enim: *Inſuper idem Papa ad præmiſſorum* (ſcilicet Dedicationis, & Indulgentiarum conceſſarum) *memoriam, Eccleſiæ & Clero, Populoq; Vulterrano Caput deuotiſsimũ auro ornatum inuictiſsimi Martyris Sancti Victoris dono dedit; qui à Clero, & Populo in Protectorem ciuitatis patronum humiliter ſuſceptus eſt.*

Maneat igitur Portianæ Baſilicę integer Victor, & non diuidatur; ipſa eſt enim Mater eius, quem ſemper ſepulcro, velut vtero, fouit.

FAX VNDECIMA

Prælucens publicis Tabulis, ſuper exiſtentia Sanctorum Victoris, & Satyri in Portiana Baſilica, confectis.

HActenùs præmiſſę Faces, quó eorum vis omnifariam eluceſcéret, diſſertatione, veluti perflatu quodam, aut agitatione indiguerunt; iuxtà Ouidianum illud: *Vidi ego iactatas, mota face, creſcere flammas*. Nunc autem mera lumina, á ſe ipſis, nullo alterius labore micantia ſum prolaturus; publicas nimirum Tabulas (Inſtrumenta vocant) docentes, Corpora Sanctorum Victoris, & Satyri, in Victoriana Baſilica retecta, & agnita fuiſſe; in eàquè recenter excitatâ iterum condita, ac aſſerua-

ta. Nullum hæc opus noſtrum efflagitant; id vnum ſufficit, ſi, quam ſuo veluti iure exigunt, & extorquent, fides eis adhibeatur.

Quibus enim validioribus probationibus rerum, actionumq; veritas in animis hominum inſeri, ac enutriri poteſt? Hiſcè quippè ſtatuitur quicquid pro certo, nulla admiſſa ambiguitate, habendum eſt, his dubiæ ſoluuntur lites; his poſſeſſiones firmantur; his omnis iudiciaria actio, quæcunquè pertentauerit, obtinet; his propria ab aliorum infeſtatione tuemur, his iniquè vſurpata redimimus. Publicis inſtrumentis fidem detrahæ, adimes illicò ab hominibus pacem, à Rebuſpublicis commertium, conueniendi, contrahendiq; mutuam conſuetudinem, iam non emptiones, venditioneſq; vim habent: nō mercatura, non teſtamenta, non ipſa ſacroſancta connubia, nullum deniquè iam conſtat eorum, quæ ſibi inuicem præſtant mortales, commodorum: vt

ſus,

ſus, dequè omnia verti, ac ruere neceſſe ſit. Collata cum his inſcripta Marmora, ærauè inciſa, infirma ſunt: nutant monumenta, quantumlibet priſca: traditiones ipſę labant dubietate: minor eſt Hiſtoriæ fides, nec adeò tuta hominum teſtimonia: ſiquè tibi reliqua cuncta aduerſentur, habeas modo pro te publica hæc Documenta, nil nõ euinces, quandoquidem quicquid his conforme eſt, verum eſt, falſum quicquid horum diſpoſitione impugnatur. Conſule ius vniuerſum. Iuriſq. peritos; alicubi inuenies, *Inſtrumentum eſt probatio probata, & facit notorium*, alibi *Inſtrumenta publica perpetua firmitate nituntur*; hinc audies, *Inſtrumenta habent pro ſe omnimodam præſumptionem, quod verum contineant*; illinc, *Inſtrumentis in iudicio plenam adhiberi fidem*; aliunde, *In dubijs ſemper pro Inſtrumento præſumendum eſſe*; vndiquè tandem infinita his ſimilia eorumdem Inſtrumentorum accipes Elogia.

Decius in leg. 1. ff. ſi certum petatur Gloſſ. in c. 2. de Fide Inſtr. Aur. Additio ad Comp. Nauar Verb. Scriptũ Gloß. in C. per venit Verbo Archiuij 30. q. 1. l. cum precibus Cod. de Probation.

Videtur tamen, noſtra hæc Inſtru-

menta

menta tibi non eſſe ſatis: quamobrem nec ſinere velis, te ab ipſis conuinci. Firmum enim habes: quod, ſi perpendantur ea, quæ obijcis aduerſus exiſtẽtiam Sacrorum Corporum in Portiana, nouæ adhuc locus ſuperſit ſententiæ: ſiquidem ais. *Quicquid tandem iudicij denuò feratur*. Exhibitis ergò Inſtrumentis adhuc opponis? Quid tandem?

Non ſuſpicaris, vitiata eſſe Inſtrumenta, ſuppoſititia, falſa. Id enim non cadit in rem preſentem. Laborant hoc dubio vetuſta nimis monumenta: quibus multa ob temporis longitudinem, & hominum nequitiam poſſunt accidere. Hìc autem præ manibus habemus Documenta recentia, heſternè, vt ita dicam, confecta, quemadmodum & res, quam teſtantur: eorumquè archetypa intacta ſunt, eo loci aſſeruata, quo nulla poteſt penetrare deprauatio. Sed nec dicturum te arbitror, Tabellionis teſtiumuè ſubornationem interfuiſſe. Præſentia quippe Diui Caroli, rebus in omni-

omnibus, ſed præſertim in his, Oculatiſſimi (vt mox dicetur) omnem corruptionis metum eliminat. Adfuere Notarij tres, iſquè qui exemplari á te viſo ſubſcripſit, á te honoris cauſa nominatur: duo inſuper Prothonotarij Apoſtolici, teſteſque tales, quos natalium ſplendore, dignitate, prudentia, probitate præcellẽtes, intolerabilis dementię eſſet affirmare prece, pretio, gratia potuiſſe corrumpi. Et mehercle quis eos, & qua de cauſa ſubornare conaretur? Teſtamentum né ſuppoſituri, erant, aureorum myriadem falſo hæredi adiudicaturum? Oliuetani Patres non contentionis ſtudio, non vt aduerſarij, ſi quos haberẽt, cauſa caderent, non propriæ gloriæ, aut vtilitatis ſtimulo, ſacros hoſcè theſauros depromebant, ſed eo tantùm conſilio, vt in nouam Ædem, quales quales reperirentur, deferent; nec enim decens erat ipſos in vetuſta relinquere.

Aſſu-

Aſſumes fortè, ex eo nutare Tabularum fidem, quod enarrent pluribus fundamentis, quam re verà habuerint, niſos fuiſſe Victorianos in ſacris Corporibus perquirendis. Sic enim habent *Cumquè in Eccleſia antiqua, & veteri, quam de præſenti demoliri facere intendunt auctoritate Apoſtolica, & ſub Altare maius dictæ Eccleſiæ, vt ipſi Domini Abbas, & Monachi à ſenioribus Patribus dictæ Religionis intellexerunt, & voce totius populi, tum ex Chronicis Boſſianis, tum ex* Scripturis *antiquis, & etiã ex quadam tabula antiqua in dicta Eccleſia reperta, in dicto Altari maiori ineſſe Corpora, ſeu oſſa, & reliquias Sanctorũ Victoris Martyris,* Satyri *Confeſſoris, & aliorum &c.* Tu verò obieciſti, falſum eſſe á Chronicis Boſſianis hæc affirmari; dũ enim quodam in loco dicunt, *Hic Archiepiſcopus* Arnulphus II. *fuit magnæ ſanctitatis, Monaſterium Sancti Victoris ad Corpus dotauit vbi Corpus eius in pace requieſcit*, ais tu, accipiendum eſſe de corpore ipſius Archiepiſcopi, non de Corpore Sancti Victoris,

ris, vt ex ijſdem verbis, alibi repetitis, aſſeris clariùs innoteſcere.

Cõtra ego afferam primò Iuriſprudentum doctrinam, vitio ſcilicet aliquali narratiuę (ſic vocant) Inſtrumentorum non labefactari eorum vim, ſed eo tantùm, quod non cohærens cum re, quæ tunc firmatur, deſtruit factum principale; cæterùm hoc ſtante, locũ eſſe Regulæ, *Vtile per inutile non debet vitiari*. Igitur quamùis nec vlla traditione, nec populi sẽſu, nec antiquis Scripturis, ac Tabulis, nec Chronicis Boſſianis moti eſsẽt Oliuetani ad Corpora perquirẽda, reperta tamẽ fuiſſẽt (vti verè ſunt) Inſtrumenta inuentionem hãc enarrantia, ac teſtantia, verum quid edocerent, quantò magis id dicendum erit, cum reliqua motiua ſubſiſtant, ſolum autem fortè id quod eſt á Chronicis Boſſianis vacillet? *Cap. vtile de Regulis Iuris in 6.*

Secundò abnuam, locum, quem tu diuinas, eſſe illum, vnde maioris noſtri elicuerunt, Chronica Boſſiana ſibi ſuf-

fragari. Exemplaribus tibi fortè ignotis vſi ſunt, in quibus diſertè erat id, quod Tabellionibus ſuggeſſerunt. Si enim hoc refertur non ſolùm ad Corpus Victoris (vt tu velles) ſed etiam ad Satyri, & aliorum, non igitur nitebãtur ei dumtaxat teſtimonio á te allato; de quo tamen vide, quæ diximus Face VI. ſiquidem, cum non reijciat interpretationem de Corpore Sancti Victoris, cur cogere nos vis ad accipiendum de Archiepiſcopo? Dices: Catalogus Mediolanenſium Archiepiſcoporum, qui eiuſdem Boſſij eſt, apertè de Arnulpho loquitur. Non admitto de omnibus exemplaribus. Sed eſto: Quid tum? Ergo in ipſis etiam Chronicis non niſi de Arnulpho eſt ſermo? Neceſſitatem conſequutionis non percipio. Quid enim obſtat, quominùs in Chronicis de Victore, in Catalogo de Arnulpho loqueretur?

Eó tandem fortè confugies, vt dicas, res quidem in Inſtrumento regeſ-

tas,

tas, vti acciderunt, ſcilicet reperta eſſe Corpora, quę pro vt apparebat, credita ſunt Sanctorum Victoris, & Satyri. Verũ quis nos certos reddit, eorum verè eſſe, nec potuiſſe eſſe ſuppoſititia?

At neque huiuſmodi confugiũ tibi referant Inſtrumẽta. Quamuis enim ad ea nõ pertineat, expreſſis verbis edicere prolatã velut ſentẽtiã de re cõtrouerſa, inuenta Corpora eſſe Victoris, & Satyri, ſanciunt tamen id facto, dum enarrant, ac teſtantur inuentionem. Siquidẽ nõ aiunt exiſtimata probabiliter ea fuiſſe Victoris, & Satyri, quatenùs ex ſubiectis nominibus alijſq; indicijs conijci poterat, ſed abſolutè, Victoris, & Satyri Corpora reperta fuiſſe. Sic etiã D. Carolus, vt ex inferiùs dicendis exploratius fiet, facto iudicium tulit; ea Corpora pro talibus agnoſcens, pro talibus venerans, pro talibus pia ſupplicatione circumferens, pro talibus in noua Baſilica recondens, ac finẽs pro talibus in publico Documẽto deſcribi. Sic

communis eorum omnium, qui aderant, nec non populi totius conſenſus, pro talibus eadem recipiens, facto pariter ſententiam pronunciauit. Et iure quidem optimo, nulla enim offerebat ſe anſa ſuſpicandi de ſuppoſitione; quę à noſtris circa id temporis fieri non potuit, vtpotè qrod á D. Carolo alijſq; pręsẽtibus cõſpiciẽda fuiſſent recẽtia effoſſionis, & reſeratæ Arcæ veſtigia Arcę, inquã, quæ, vt ſæpiùs dictũ eſt, & Inſtrumentũ teſtatur, altiùs erat infoſſa, & ſub alijs pariter lapideis tumulata. Ex quo etiam fit, vt vix quæat ſufficiens emergere indicium vetuſtioris ſuppoſitionis; ex longiſſimo enim tempore, vt alibi adnotauimus, Sacra hæc lipſana fuere inacceſſibilia. Ea propter, licet bellorum, excidiorumquè cauſa, quibus Vrbs noſtra ſæpiùs eſt afflictata, Scriptores non pauci, pleraſquè Sanctorum exuuias ereptas, ac alio delatas fuiſſe recenſeant, nemo eſt, qui de Reliquijs in Victoriana repoſitis,
quic-

quicquam muſſilauerit. Quinimò poſt D. Ambroſium (quem tu comminiſceris clàm ſurripuiſſe Victorem, ac propè Baſilicam à ſe extructam collocaſſe, ibiq; Satyrum deinceps contumulaſſe) ignoratur, quænam potuerit accidere ſuppoſitionis occaſio, nec aliud Templum, Vrbs, aut regio eſt, quæ his Reliquijs perfrui ſe iactet. Aduerſus tamen commentitiam illam, per D. Ambroſium factam ſuppoſitionem ſoli Victori (quandoquidem Satyrus per te adhuc erat in viuis) ſat erit rurſus opponere Corpus illud laterale, in eadem Arca repertum. Quis enim, & cur falſo Victori aſſociauit?

Iam igitur apertè effare. Quale vitium hac in re ſe immiſcuit, vt publicum de ea Documentum tibi non ſatiſfaciat? D. Carolus pręproperus nimis in hanc agnitionem deſcendit; repertiſq; illis Corporibus anceps aliquandiù, & ſuſpenſus adhuc hærere ſuper eorum veritate debebat; nec fortè tám

ſolli-

ſollicitum, vt par erat, in vlteriori veritatis indagine ſe præbuit; ſupererant quippe aliqua perpendenda, quę ipſius oculos, mentemq. fugerunt, En ipſiſſima tua verba. *Quod ſi totidem hinc inde indicia Sanctiſsimi noſtri Caroli menti, vel etiam oculis obuerſata tunc fuiſſent, nihil profectò nos ambigimus, quin hac in re multò magis, quàm fortè fuit, anxius ſaltem atquè conſilij ambiguus ille futurus eſſet.*

Aperire equidem neſcio, quam cenſuram mereatur tua hæc totam controuerſiam abſoluens, concluſio, iſquè loquendi de D. Carolo modus. Iudicet amabò, qui conſideratè legerit. Deus bone? Oculatior eſſe potuit Carolus, qui Scriptorum calculo *Oculatiſsimi* appellatione donatus eſt? Potuit in veritate ſcrutanda deficere, qui Pij Quinti Pontificis Sanctiſſimi oraculo dictus eſt plenus Spiritu Sancto, qui Spiritus veritatis eſt? Diligentia adhuc deſideratur in ipſo agnoſcente Reliquias, cuius peculiare ſtudium totum in hoc fuit,

Ioann. Petrus Gluſſ. lib. 6. cap. 7. Ioann. Ant. Caſtell.; Antiq; Baſil. Vin. 1. p. faſc. 4. Gluſſianus lib. 8. cap. 18.

it, vt quiſpiam effutierit (quanquam minus reuerenter)quieſcentes quoquè per ipſum irrequietos fuiſſe? Maiorem in ferendo de rebus Eccleſiaſticus iudicio prudentiam eſt, qui quærat ab eo, cuius propriam fuiſſe prærogatiuam, ac dotem memoriæ poſterorum conſignatum eſt sẽpiternæ? *Prudentia verò*(Nouarienſis Epiſcopus poſt alios) *animiq; lumen in adminiſtranda Eccleſia tanti eſtimatur, vt huc pleriq; deueniant, qui rebus Eccleſiaſticis ornãdis ſtudẽt; ſcripta conquirãt; inſtituta diſcant; auferant quicquid poſſunt. Prætereaſi quid apud eos, qui cæteris præſunt, in dubium vocatur, eis etiam ipſis, qui ab eo viuente diſſenſerant, illud ſufficere videtur ad confirmandum, ſi Carolus ita feciſſe demonſtretur.* Et tamen, vt dicebam, eſt aliquis cui ea ſatis non fuerit. Proh? Tua tamẽ, Carole, cælo recepta mens; tua mititas, cuius præmium beatam viuentium terram poſſides; tua iam imperturbabilis animi ſerenitas, hæc de te cogitanti, hæc ſcribenti, ſi eum pudor, &

Carolus à Baſil. Petri in fine Vita S. Caroli.

poe-

pœnitentia intrat; ignoſcat.

Colligo me, ſanctèque confirmo, legenti geſta Sãctiſſimi Cardinalis obrepere nõ poſſe, quod in hoc Reliquiarum negotio incogitantiæ fuerit obnoxius. Et quidem quám non fuerit ad credendum facilis, præclarum habemus inter alia teſtimonium rem geſtam Liani in Brixienſi Dioeceſi. Audierat, apud eius loci Templum lapideam adeſſe Arcam, in eaquè oſſa aliqua, quæ vti veras Sanctorũ Reliquias indigenæ, exteriq; venerarentur; famam inſuper latè vagantem, nocte, quæ Apoſtoli Petri vinculis dicatum diem prçcedit, ſcatere ex ijs mirè aquã, ea copia, vt pluribus licet haurientibus (ſacra quippè, & malis pellendis, aut auertendis vtilis eſtimabatur) non ſiccaretur. Acceſſit ad oſſium viſitationem Carolus, cuiuſnàm fuerint, vnde eò delata, ex quo tempore, cæreraquè his in rebus cognitu pernecеſſaria, requiſiuit: Nil explorati imò

Gluſſianus vbi ſupra.

nec

nec ſatis probabilis inueniens, quamuis modo hominum technæ, modo Dæmonum illuſiones, ac præſtigia menti occurſarent, nullum temere iudicium protulit. Tantùm; extremo Quinctilis die exeunte,oſſa,& Arcam, ſi quo humore maderent,ſiccari iubet, atqué á probatæ vitæ Presbyteris tota nocte peruigilibus cuſtodiri. Nihil tota nocte manauit, mane cuncta ipſis pumicibus ſicciora. Quamobrem deceptioni locum fuiſſe ratus ea cauit in poſterum prouidentia, vt apud homines iam tunc opinio inualuerit, peculiari eum Sancti Spiritus directione ac aſſiſtentia fuiſſe munitum, quod duobus alijs ſimilibus exemplis Hiſtoricus confirmat.

Habuit in his ſemper præuias, & comitantes ad Deum preces; quippè Orationis, ipſi aliás frequentiſſimum ſtudium, in quod ijdem geſtorum eius Scriptores referenda multa contendunt, quę illius doctrinam, capaci-

In Petrus Glaß. lib. 2. cap. 2 & lib. 8. cap. 18.

Carolus a Baſ. Petri lib. p.

Vu tatemq;

tatemq; anteire videbantur, tunc maximè in ſubſidium vocabat, cum de ſacris hiſcè lipſanis ſtatuendum erat. Sic reperto Nazarij Martyris Corpori, quod ad Mediomatrices olim delatum ſenſerant aliqui, non niſi fuſis ad Deum protractiſquè in mediam vſquè noctem precibus, interfuit. Quamobrem inter cętera argumenta, quibus iudicatum fuit, Corpus illud eſſe Nazarij; non leue exiſtimatur, quod Carolus, propria prudentia, & cæleſti lumine oculatiſſimus, pro tali agnouerit. Excubias ergo pariter ad Sacra hæc Portianæ Baſilicæ oſſa, dum retegerentur, orando peregiſſe teſtantur cum Ripamontio á nobis Face VIII. relato, reliqui Scriptores. Quod ſi pollicitus eſt ſuo in Euangelio Dominus Matth. 18. *Vbi duo, vel tres congregati ſunt in nomine meo*, ſcilicet (Interpretes, à Cornelio á lapide citati, paraphraſim attexunt) *propter me, vel mei reſpectu, mei amore, vel non niſi me, & meam gloriam quæren-*

Gluſſianus l. 5. c. 9. A Baſilica Pet. l. 5. cap. 6. Caſtelliones Baſil. Vinc. lib. 1. faſ. 4.

Decad. 4. l. 3.

In hunc locũ Matth.

quærentes; ibi ſum in medio eorum, ideſt, *aſſiſto, cooperor, & dirigo eorum deſideria & vota* quis inficiabitur, Carolum, inſigni vitę ſanctitate alioqui prędìtum, orantem cum ſuis, totoq; ferè Clero, ac populo, eam directionem conſequutum, qua ſine deceptione cognoſceret, vera nè an ſuppoſititia oſſa illa fuerint? Nouerat Carolus id obtinuiſſe Turonenſem Epiſcopum Martinum, qui dum ad ſepulcrum, in quo ignoti hominis colebantur exuuiæ, accederet, dubius an verè Sancti eſſent, poſt eiaculatas in cælum ardentiſſimas preces, vidit horribile ſpectrum, quod terrifica voce faſſum eſt, animam hominis inibi tumulati, ex hac vita deceſſiſſe impœnitentem, perpetuiſq. inferorum ſupplicijs mancipatam fuiſſe. Nouerat ex duplici Eliſæi facto 4. Reg. Cap. 6. quàm peculiarem ad aperiendos oculos vim pia poſtulatio præſeferret. Quidni igitur & ipſe ſuperni immiſſionem luminis in re tàm ſeria, id præſertim ſui muneris

Seuerus Sulpitius.

exigente ratione, impetrauerit? Addo lynceam cæterâ eſſe amantium aciem, atquè ob eam, quæ inter ipſos eſt, morum, ac virtutum ſympathiam, facilè ſe ipſos agnoſcere. *Similia ſibi ipſis occurrunt*, aiebat Nazianzenus, & perpendebat Hieronymus, ob mutuum amorem, á communi puritatis ſtudio conciliatum, Chriſtum Ieſum á Beato Ioanne Apoſtolo ad mare Tiberiadis poſt reſurrectionem, diſtantem licet, cognitum fuiſſe. *Prior virginitas Ioannis virginale corpus Chriſti cognoſcit*, & alibi. *Neſciebant Apoſtoli quem viderent, ſolus Virgo Virginem agnoſcit*. Quin & non paucos Sanctorum, ſimili propenſione, cum nunquam anteá ſe vidiſſent, primò intuitu legimus inuicem agnitos, ac proprio nomine, alioquin ignorato, ſe cōſalutaſſe. Crediderim ergo, fratrem Sanctiſſimi Ambroſij, à Carolo ſemper impensè culti, ac in peculiarem magiſtrum, ac patronum adoptati, fratrem, inquam, eidem Ambroſio vultu, mori-

Orat. in S. Lumina.

Epiſt. ad Pammach. lib. 1. contra Iouinianum.

moribuſquè conſimilem, occulta hac, & mira animorum conuenientia impellente, quando cætera defuiſſent, ab eo fore dignoſcendum. Siquidem teſtantur qui adfuerunt, in Satyri retectione illum fuiſſe incredibiliter lætatum.

Gluſſianus l. 3. c. 8. Vita S. Caroli Ripamontius vbi ſupra.

Redeo iam ad perpendendum tuum illud effatum, *Quod ſi totidem hinc inde indicia*. Scilicet nos ſolis indicijs rem tranſegimus; aut ſi indicijs iudicium ferendum eſt, paria ſunt pro exiſtentia Sacrorum Corporum in Ambroſiana, ac in Portiana. Non ſunt mihi crede, totidem, nec numero, nec vi. Tua equidem allatis hactenùs Facibus conſiderata ſunt, & pauca, & leuidenſia. At eſto res penitus in ancipiti verſata eſſet, hinc inde proprijs ex æquo fulta adminiculis; qua alia ratione decidi poterat, quàm ipſo euentu, ſecutæ in Portiana detectionis, & agnitionis, ipſis titulis eloquentibus? Quid tùm Carolo faciendum erat? Præſtare ſe, ais,

ais, vti prius ſuſpenſum. Nil igitur profuit, eo conſilio perquiſiſſe, ac inueniſſe, vt dubietas tolleretur?

Sed alia te inſequor via. Quædam, ais, Caroli oculis obuerſari potuerant quæ non ſunt obuerſata; quædam mẽti. Quæ non ſunt oculis obuerſata, oportet, vel neſciſſe, vel videre noluiſſe, vel exiſtimaſſe, eorum inſpectione opus non eſſe. Si primum; ignarum facis hominem, cuncta, vt diximus, rimantem; ſi alterum, facis peruicacẽ, ſi extremum, da iam tua argumenta infirma fuiſſe, viſu non neceſſaria, ac proinde non æqualia noſtris. Sed quid inſpicere poterat? Codicem aliquem, aut membranam, iuxta aliquorũ opinionem, Satyrum in Ambroſiana collocantes? Inſpexit. Nec enim tám recondita hęc fuerunt, quin manibus omnium tererentur. Iconem Victoris muſiuo opere in fornice Cappellæ Satyrianæ, cui tu adeò niteris? Patet vniuerſis. Epitaphium Dædalię, ad fron-

Ex his Puricellus ſuam firmat ſentẽtiam nu. 19.

frontẽ *M*artyris tumulatæ? Si aderat, obuium erat. Marmoream Tabulam poſt Altare eiuſdem Cappellæ, teſtãtem, ibi requieſcere Satyri Corpus? Heu! ſerò nimis ſtatuerunt apponere clientes tui; Caroli æuo non aderat. Arcam in eodem Altari bina continentem Corpora, vnica tabella inſcripta S.V. & S.S.H.R.? *S*pectatur; tu & alij introſpexiſti, igitur aut ipſe etiã ſpectauit, nec tamen ſuaſum ſibi habuit, eſſe Victorem, ac Satyrum; aut prudenter cenſuit, non eſſe neceſſe ſpectare. Quod ſi omninò videnda erat, nec vidit; cur Ambroſiani Monachi, quorum res agebatur, non obſecrarunt, vt videret? Adeò ne pertinax Sanctus Archiepiſcopus, aut Sacrarum Reliquarum incurioſus fuit, vt hac, aut illa de cauſa, ad inſpicendum non moueretur?

Venio ad ea, quæ ais potuiſſe menti obuerſari, nec ſunt obuerſata. Quę tunc erant, ſi leuia, meditari ſuperflu-

um

um erat, ſi ſeria, ſi grauia, ſi ad rem facientia, perpendit vtiquè (ſecùs incogitantis notam illi inures) præſertim cum non ignoraret, opinionem vagari, quod Satyrus non longè á Sancto fratre eſſet conſtituendus. Quæ autem tunc dubium ingeſſerunt, & melioribus argumentis, & ipſa inuentione Corporum in Portiana, diſſoluit. Quæ verò ſunt deinceps à te excogitata, diuinare non poterat, & per conſequens nec animaduertere. At quid tandem vis conſideraſſe? D. *A*mbroſium meticuloſum, timore Arianorũ (quibus tamen Sacræ Reliquiæ negotium non faceſſebant) clam abſtuliſſe, nunquám relaturum, á Portiana Corpus Victoris; aſportaſſe ad *A*mbroſianam nihilò tutiorem; aliud ſuppoſuiſſe, quod pro Victore, cuius nomen inſcriptum reliquerat, falſa veneratione coleretur, eiquè ſuppoſititio, deinde per neſcio quem, aſſociatum fuiſſe alterum, quod, vt crederetur

Hoc eſt Puricell. commentum.

Cor-

Corpus Satyri, (non ibi, ſed in Ambroſiana quieſcentis) inſcriptum fuit S. SATIR. Item, S. Satyrum deceſſiſſe quadriennio poſt, quàm deceſſerit, & affirmauerint Scriptores vniuerſi, eo quod vnicus tu ita ſenſurus eras. Bini hi sũt cardines, circa quos ratiocinatio omnis tua vertitur. Dic ergo ſodès, an hæc viro prudenti tunc attendenda forent, & an eis aliquid deferret, ſi modò eſſet in viuis.

Pariter itaquè comitemur Carolum ad Portianam euntem, & caſum in praxi, vt dicũt, efformemus. Imbibitus Carolus traditione, monumentis, voce, ac cultu totius populi, quod Victor in ſua Baſilica conderetur, notis indicijſq; verificandis inſtructus, ſpõtè á Victorianis Monachis accitus pergit exploraturus, an verum ſit. Effoditur locus, in quo fama eſt, Victorem requieſcere, ibi in lapidea Arca; profundè iam ab antiquo ſepulta, tutiſſimè aſſeruata, penitus intacta, re-

peritur Corpus, ſub cuius capite lateritium ceruical habet inſcriptum *S.Victor*, reſpondet nota, alterius ſcilicet Corporis, quod ad læuam debuiſſet habere contumulatum, Satyri nomine. Quid tùm Carolus? *Anxius ille tamen & conſilij ambiguus ſit*; quandoquidem hæc non ſufficiunt. At cur non ſufficiunt? Quid verò deeſt? Itanè Sacræ omnes Reliquiæ ſemper in ambiguo erunt; hocq; Reliquiarum negotium tale erit, vt de eo Epiſcopi, ac Præſules nunquam poſſint ferre iudicium, quamuis ſacri Canones, & Concilia iubeant, eas ab Epiſcopis cognoſci, probari, & cultui fidelium exponi? Vlteriùs autem inquiro á te, cur ſuſpendat Carolus de Victore ſententiam? Quia fertur, apud aliam Ædem, in qua tamen Author nullus hucuſq; cenſuit tumulatum Victorem, in Arca, cuilibet peruia, adeſſe Corpus alteri aſſociatum; quod alterum ſub caluaria habet lapidem infernè exculptum duabus litteris S.V. ne-

Hæc Puricellus prior manifeſtauit, his nititur.

mo

mo tamen eſt, qui inſtet pro huius Corporis inſpectione, aut qui illud exiſtimet eſſe Victoris. Quoad Satyrum verò ita res ſe habet. Scit Carolus ex traditione conſtantiori, multiſq; monumentis, adiudicari Satyrum Portianæ; ſcit, circumferri ab Ambroſio ſepultum fratrem ad læuam Martyris, eumquè Martyrem dici Victorem. Effoditur in Portiana, vt dictum eſt. *A* latere Victoris lęuo reperitur Corpus, ſub cuius capite lateritia tabella inſcripta eſt, S. SATYR., nullum alium Confeſſorem, cognominem Sanctum habemus pręter Ambroſij fratrem; nullum ſe offert ſuppoſititij corporis indicium. Quid aget Carolus? *Anxius ille tamen, & conſilij ambiguus eſto.* Qua dę cauſa? Hac nimirùm, quod aliquo poſt tempore poſſet eidem indicari, Satyrũ mulatũ fuiſſe in Baſilica Fauſtiniana & Baſilicã Fauſtinianã eſſe Satyrianũ Ambroſianæ Sacellũ. Papæ! ſi tales obices iudiciũ ſiſtere debent, nulla vnquã ſen- Opinio Puricelli.

tentia proferetur. Conſule iura omnia, conſule Theologiam, quam profiteris, conſule Doctores, & Summiſtas; doceberis nemini abſtinendum ob leues ſuſpiciones, quæ de facili qualibet in re poſſunt emergere, à iudicando practicè verum, ac probatum. Hoc eſt ferre iudicium cum prudentia, & ad tale ferendum tenetur Iudex in conſcientia. Ancipitem veró manere ob infirmas ex aduerſo rationes, vitium eſt leuitatis, & puſillanimitatis, ac proinde peccatum, quale in Diuo Carolo ſomniare nos quidem pudet.

Sed adhuc pende, quanta cum circumſpectione, & euidentia rem confecerit Carolus. Habemus aliorum Corporum, tunc pariter detectorum, ac translatorum pleraquè nomina; peculiariter autem tria illa ſimul iuncta (vt in Inſtrumento) cenſemus eſſe trium Mediolanenſium Archiepiſcoporum, Mirocletis, Prothaſij, & Datij; quæ abſquè vlla controuerſia in Portiana

colun-

coluntur. Attamen Inſtrumentũ percurre; reperies, neminem eorum proprio eſſe nomine declaratum; ſiquidem liquidò ac diſtinctè ſuis nominibus nõ indicabantur, vti Victor, ac Satyrus.

Acquieſce igitur tu, & tui Inſtrumentorum iudicio. Id debetur ſententię ita latæ, vt interfuerit pars aduerſa quæ audiuit & vidit, nec reclamauit, non oppoſuit, non queſta eſt, non appellauit, non edidit proteſtationes, ſed nec obſecrauit pro ſuſpenſione iudicij. Vna hæc eſt ex præſumptionibus, quas hæc Documenta ſecum ferunt, nimirùm quod ſcripta in eis ſint poſita de conſenſu partium, quamobrem tám ad damnum, quam ad commodum vtriuſquè partis recipienda eſſe, ſtatuunt Iuriſprudentes *cum Gloſſ. ad cap. 1. De fide inſtrumentorum*. Poterant Oliuetani ſolo cum Tebellione, & teſtibus, ad agnitionem Sacrorum Corporum deuenire. Nil eos ad aliud cogebat, & nemo. Placuit tamen D.

Aur. addit. ad Nauarr. Verbo ſcriptura n. 6.

Caro-

Carolum accire. Vide quàm ſine formidine; audax enim aliàs eſſet conſilium, ſi periculum fuiſſet, bina illa Corpora abeſſe. Neque illud ſatis eſſe exiſtimarunt; ſiquidem Abbatem, ac Priorem Ambroſiani Monaſterij intereſſe voluerunt. Doce, quando talia fecerint pro ſuis aſſertis Reliquijs Ambroſiani. Quod autem ſilentio tunc aſſentientes, quin & Carolo ſuperſtite, nec non per âliquos poſt annos immoti, ſequentibus deinceps temporibus lapidem poſuerint, aſſerentem, á ſe Satyri Corpus poſſideri, & in hanc ſententiam curauerint diſſeri, & euulgari ab eo qui præter *S*atyrum, Victorem etiam, de quo nihil excogitabant, eis inuenit; res videtur eſſe nullo modo ferenda; ſummæ quippè prudentiſſimi, ac ſanctiſſimi, *C*ardinalis exiſtimationi aliqualis inde inuritur nota. Cæterùm quod toti ſint in Satyro colendo, vt hac ratione ſuadeant, eius exuuijs ſe perfrui, id operis nos excuſabi-

ſabimus, ſi non poterimus intentionem; cupientes ex animo omnem egregio Chriſti Confeſſori honorem impendi. *Quid enim? Dum omni modo*, liceat aliquantulum Paulizare, *ſiue per occaſionem ſiue per veritatem* Chriſtus in ſanctis ſuis glorificetur, *& in hoc gaudeo, ſed & gaudebo*. Tu verò eam noſtratis Hiſtorici ſententiam reformida. *Audaciæ videtur eſſe præcipitis publico iam conſenſu receptas tabulas infirmare velle.*

Ripamont. Decad. 1. l. 2

FAX

FAX DVODECIMA

Tabulæ in agnitione Sacrorum Corporum Victoris & Satyri ad Portianam confectæ.

IN Nomine Domini Amē. Anno à Natiuit. eiuſdē milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto Indictione quarta die Iouis vigeſimo ſexto menſis Iulij Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Gregorij Diuina prouidentia Papæ tertij decimi anno quinto, & ſedente Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domino, Domino Carolo tituli Sanctæ Praxedis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Præsbytero Cardinali Borromeo nuncupato

Mediolaniq; Archiepiſcopo anno ſui Pontificatus decimo octauo, ac regnante Inuictiſſimo Philippo Hiſpaniarum Rege, & Mediolani Duce, Cũ ſit, quod Reuerendi Domini Abbas, & Monaci Monaſterij S. Victoris extra Portam Vercellinam Mediolani, haberent Eccleſiam veterem, & antiquam & multum incõmodam tam ipſis Dominis Monacis in celebrandis Diuinis Officijs, quam laicis, in eis audiendis, & per litteras Apoſtolicas obtinuerint licentiam ipſam Eccleſiam deſtruendi, & aliam nouam cõmodam ad honorẽ Dei Omnipotentis ſub eodemmet titulo S. Victoris conſtrui, & fabricari faciendi pro vt illam fabricari, & conſtrui fecerunt, licet adhuc non in totum perfectam, ſed tam amplam, & capacem ad Diuina officia celebranda & populo ad eam Eccleſiam confluendi cõmodam in audiendis Miſſis, & Diuinis Officijs, prout oculatim perſpici poteſt. Cumq; in Eccleſia anti-

qua,& veteri quā de preſenti demoliri facere intendunt auctoritate Apoſtolica, & ſub altare maius dictę Eccleſiæ vt ipſi *D*omini *A*bbas, & Monaci à ſenioribus Patribus dictæ Religionis intellexerunt, & voce totius Populi, tùm ex Cronicis Boſſianis, tùm ex ſcripturis antiquis, & etiam ex quadam tabula antiqua in dicta Eccleſia reperta, in dicto altari maiori ineſſe corpora, ſeu oſſa, & reliquias Sanctorum Victoris *M*artyris, Satyri Confeſſoris, & aliorum plurimorum Martyrum, & Confeſſorum, quæ ad Eccleſiam nouam transferre vellent. Hanc tamen translationem facere non auderent inſcio præfato Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domino Cardinali Archiepiſcopo vtſupra. Propterea cum multum Reuerendus Dominus D.Clemens de Reſtis dicti Monaſterij *A*bbas ad præfatum Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Dominum Cardinalem,& *A*rchiepiſcopum acceſſerint, ſuæq; Illuſtriſs.

ſtriſs. Dominationi prædicta nunciaſſet, humiliterq; & inſtanter petijerit, quatenus dignaretur vel ſe ipſum ad dictam Eccleſiam transferre, & dictũ Altare, Arcas, & oſſa, ſeu reliquias predictorum Sanctorum viſitare, vel aliquos Religioſos pios ad eius libitũ deligere, qui munus viſitationis prædictæ exequerentur, & Illuſtriſs. Dominationi ſuæ poſtmodum refferrent ad effectum vt ſi ita Illuſtriſs. ſuæ Dominationi placuiſſet dictæ Reliquiæ transferri poſſent ad Eccleſiam nouam, eidem conueniens fore iudicaſſet. Qui præfatus Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Cardinalis honeſtæ petitioni præfati Reuerendi Abbatis morem gerere volens, ipſeq; alijs impeditus negotijs huic muneri pro tunc vacare non poſſet, mandauit Reu. Pręsbytero Domino Ludouico Monetæ, qui locum, & Arcas inuiſeret, in quibus illæ poſitæ erant, qui ea diligenter recognouit nulla tamen Arca aperta, & ipſi Illuſtriſs.

Domino Antiſtiti retulit. Poſtea verò & ipſe Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Cardinalis eo venit, & eaſdem inſpexit, & recognouit, atq; etiam marmoream *A*rcam aperuit, quæ defoſſa erat poſt altare maius ſcilicet inter ipſum altare, & loculum SS. Victoris, & Satyri, de quo inferius, & quinque Capita cum multis oſſibus in ea reperta ſuſtulit, & condidit in *A*rcam ligneam, quam ſigillis S. Mariç, & S. Victoris muniuit, eamq. in Sacriſtia cuſtodiri mandauit. Cumq. verò aliæ quoq; reliquiæ receſſendæ eſſent, & tollendæ, & inter alias Corpus S. Satyri, qui in Arca lapidea cum S. Vict. mart. poſitus erat, vt inferius deſcribitur, de quo S. Satyro eſſet aliqua controuerſia cum Reuerendis Monacis S. Ambroſij, vt veritas appareret, mandauit Reu. Domino Ioſepho Maſcardo eius Vicario, qui & cæteras reliquias recenſeret, transferrendaſq; pararet & ſepulcrum ipſum in quo dicerentur eſſe Corpora

ipſo-

ipſorum SS. Victoris, & Satyri diligenter inſpiceret, & conſideraret, qui ſepulcrum ipſum inſpiciens quaſdam litteras in ipſo agnouit, quæ nomen ipſius Sancti Satyri præſeferrent, de quibus inferius, & cæteras reliquias ex Arcis exemit, & parauit modo hic deſcripto. Die Veneris decima tertia Iulij 1576. ad præſentiam multum Magnifici & Reuerendi Domini Ioſephi Maſcardi I. V. D. Prothonotarij Apoſtolici Curiæ Archiepiſcopalis Mediolani Vicarij &c. Repertæ fuere Sanctorum Venerandæ Reliquiæ, quæ ſequuntur in Eccleſia S. Victoris Mediolani. Poſt altare maius, à parte cornu Epiſtolæ in Arcula, quam marmorea maculata repertæ fuerãt duæ Sanctorũ Calnariæ cum nonnullis alijs oſſium fragmentis Reliquiarum, quæ omnia inde ſubſtracta recondita fuere in quadam capſula lignea ſignata A. & ſigillata ſigillo Beatiſſimæ Virginis Mariæ & S. Victoris. A. latere eiuſdem altaris in
cornu

cornu Epiſtolæ in alia Arca marmorea fuerunt repertæ infraſcriptæ Reliquię videlicet. Tria capita integra, brachia humeri, & cætera membra, & oſſa trium Sanctorum Corporum, quæ exinde recondita fuere in capſula lignea ſignata B. & ſigillata ſigillis prędictis. In eodem latere eiuſdem cornu à parte tamen inferiori, fuit reperta Arca ſatis magna oſſibus, & Reliquijs Sanctorum plena, quæ intacta, & illeſa relicta ſunt, ordinatumque fuit, quod ſub illa forma, qua reperta erant cuſtodirentur, ad hoc tamen iniunctũ fuit, vt lamijs plumbeis, ac clauis fixis clauderetur. *A.* latere eiuſdem altaris in cornu Euangelij in Arca marmorea, fuerunt reperta oſſa duorum Sanctorum Corporum, quæ pariter fuerunt inde recondita in alia capſa lignea ſignata C. & ſigillata vtſupra. Hoc tamen ſeruato ordine, vt id corpus, quod dexterum latus tenebat in marmorea capſa illud idem ſupremum locum

tene-

teneret in capſa lignea. Et hæc omnia præſentibus multum Reuerendo Domino Ludouico Moneta F.q. Magnific. D. Petri, Portæ Nouæ Parochiæ Sancti Euſebij. Alexãdro de Rubeis fil. quond. Chriſtophori habitante Mediolani in Canonica Eccleſiæ Maioris. Et Domino Cæſare Parona fil. Nob. Domini Stephani habitatore Mediol. in Archiepiſcopatu omnibus teſtibus notis, & idoneis &c. rogatum per multum Reuerendum Dominum Benedictum de Cittadinis Prothonotarium Apoſtolicum, ac Ordinarium Eccleſiæ maioris Mediolani. Poſtea verò iterum eò venit Illuſtriſs. & Reuerendiſſimus Cardinalis Archiepiſcopus, qui ipſum S.S. Vict. & Sat. Sepulcrum aperuit, Corpora recognouit, inſcriptiones cõſiderauit, ſuſtulit, & parauit ad tranſlationem, vt hic deſcribitur. Die Veneris vigeſimo menſis Iulij 1576. Ad præſentiam Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. D. Caroli tituli Sanctæ Pra-

xedis

cornu Epiſtolæ in alia Arca marmorea fuerunt repertæ infraſcriptæ Reliquię videlicet. Tria capita integra, brachia humeri, & cætera membra, & oſſa trium Sanctorum Corporum, quæ exinde recondita fuere in capſula lignea ſignata B. & ſigillata ſigillis prędictis. In eodem latere eiuſdem cornu à parte tamen inferiori, fuit reperta Arca ſatis magna oſſibus, & Reliquijs Sanctorum plena, quæ intacta, & illeſa relicta ſunt, ordinatumque fuit, quod ſub illa forma, qua reperta erant cuſtodirentur, ad hoc tamen iniunctū fuit, vt lamijs plumbeis, ac clauis fixis clauderetur. *A.* latere eiuſdem altaris in cornu Euangelij in Arca marmorea, fuerunt reperta oſſa duorum Sanctorum Corporum, quæ pariter fuerunt inde recondita in alia capſa lignea ſignata C. & ſigillata vtſupra. Hoc tamen ſeruato ordine, vt id corpus, quod dexterum latus tenebat in marmorea capſa illud idem ſupremum locum

tene-

teneret in capſa lignea. Et hæc omnia præſentibus multum Reuerendo Domino LudouicoMoneta F.q.Magnific. D. Petri,PortæNouæ Parochiæ Sancti Euſebij. Alexādro de Rubeis fil.quond. Chriſtophori habitante Mediolani in Canonica Eccleſiæ Maioris. Et Domino Cæſare Parona fil.Nob. Domini Stephani habitatore Mediol. in Archiepiſcopatu omnibus teſtibus notis, & idoneis &c. rogatum per multum Reuerendum Dominum Benedictum de Cittadinis Prothonotarium Apoſtolicum, acOrdinarium Eccleſiæ maioris Mediolani. Poſtea verò iterum eò venit Illuſtriſs. & Reuerendiſſimus Cardinalis Archiepiſcopus, qui ipſum S.S. Vict. & Sat. Sepulcrum aperuit, Corpora recognouit, inſcriptiones cōſiderauit, ſuſtulit, & parauit ad tranſlationem, vt hic deſcribitur. Die Veneris vigeſimo menſis Iulij 1576. Ad præſentiam Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi D. D. Caroli tituli Sanctæ Pra-

xedis

xedis Præsbyteri Cardinalis. Sub Altari maiori Eccleſiæ S. Victoris fuit inuenta marmorea quædam capſa ſex lapidibus ſibi mutuo coherentibus, lamijs plumbeis conſtructa, in qua reperta fuerunt Corpora glorioſiſſimorum Sanctorum Victoris Martyris, & Satyri Cōfeſſoris diſtincta inter ſe dilucido interuallo, Corpus enim S. Satyri erat á lęua S. Vict. eiuſdēq; Capiti innitebatur lapis lateritius (ſignū maximæ ātiquitatis) in quo ſcripta legebātur hęc verba vlz. S. Satyr, a dextra verò S. Sat. erat ſitum Corpus S. Victoris habent innixum omnino in omnibus ſimilem lapidem lateritium ſupradicto, in quo legebantur hæc verba vlz. S. Victor, quorum litteræ V. & T. erant ſcriptæ modo retrogrado. Et hæc omnia præſentibus multum Reuerendis Dominis Rodulpho de Cruce Primicerio Ecceleſię maioris Mediolani. Ioāne Frāciſco à Baſilica Petri Ordinario præfatæ Eccleſiæ ambobus habitantibus in Canonica. Petro Galeſinio Prothonotario

notario Apoſtolico, Abbate *S.* Ambroſij maioris *M*ediolani, Priore eiuſdem Eccleſiæ, & *A*bbate *S.* Victoris. Rogatum per multum Reuendum I.V. Doc. Dominum Ioſephum *M*aſcardũ *P*rothonotarium Apoſtolicum Illuſtriſs. & Reuerendiſs. *D.* D. *C*ardinalis titulo S. *P*raxedis, Vicarium. *P*oſt hęc dicta *C*orpora Sanctorum Victoris, & Satyri excerpta fuere ex dicta Arca marmorea, & repoſita in capſis ligneis cum cineribus, & quæ ſigillatæ fuerunt & reconditæ in *S*acriſtia veteris Eccleſiæ cum alijs capſis aliorũ *S*anctorum *C*orporum iam prius in ea repoſitis, & Ianua, ſeu Oſtium clauſum cum claui, & ſigillatum ſigillo B. Virginis præfati Illuſtriſs. Cardinalis, & S. Victoris dicti Abb. Illicò clauis conſignata fuit pænes Illuſtriſsimum; & Reuerendiſs. D. Cardinalem, & in die ſequenti ex ordine, & iuſſu pręfati Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Cardinalis; Reuerendus D. Io: Franciſcus à Ba-

ſilica Petri, & Reuerendus D. Rodulphus della Cruce Primicerius Eccleſiæ maioris, acceſſerunt ad dictam Sacriſtiam, quam clauſam, & ſigillatam repererunt eo ordine, quo priori die clauſa, & ſigillata fuerat, & induti cottis, & accenſis luminibus, aſtantibus, & adiuuantibus Sacriſta, & alijs Monacis dicti Monaſterij. Primo Corpus, ſeu Oſſa *S.* Victoris extraxerunt è dicta Capſa lignea, reponendo ſuper mappa linea, & excerpta ſunt Oſſa á cinere, & cinerem ipſam inuoluerunt in panno lineo ad effectum reponendi in vrna. Secundo extractum fuit Corpus S. Satyri modo quo ſupra, & excerptis à cinere, cinerem ipſam inuoluerunt in alio panno lineo ad effectum vt ſupra, oſſa autem repoſita, ſeu reſtituta fuerunt in ſuis capſis ligneis pro vt antea erant. Quæ capſæ poſtmodum ſigillatæ fuerunt duobus ſigillis pro vtraq; earum ſigillo S. Victoris. Quæ omnes capſæ corporum Sanctorum

rum in dicta Sacriſtia remanſerunt, vſque ad hodiernam diem, quam ſolemniter, & ſolemni proceſſione pręcedẽte vt infra translata fuerunt ad Eccleſiam nouam. Hinc eſt, quod ita mandante pręfato Illuſtriſs. & Reuerẽdiſs. D. Cardinali, & Archiepiſcopo, & eo aſſiſtente conuocato in Eccleſia maiori clero tàm ſeculari, quam regulari cum Capitulo R. D. Cardinalium Ordinariorum nuncupatorum Eccleſiæ, ac officialium præfatæ Cathedralis Eccleſiæ Mediolanenſis, aſtantibus Excellentiſs. Senatu, & Magnificis D. Vicario, & duodecim Prouiſionum in dictę Vrbis Mediolani, & magna caterua populi proceſſionaliter eundo receſſum fuit à dicta Eccleſia maiori, & proceſſionaliter ventum fuit ad Eccleſiam nouam, mox ad Baſilicam veterem Sancti Victoris, in qua Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Cardinalis Archiepiſcopus pontificalibus veſtimentis indutus, vna cum Cardinalibus ordinarijs

nuncupatis ſolemniter indutis piuialibus capſas ſeptem Reliquiarum, & oſsium Sanctorum ſuper humeros ſuſtulerunt, & cum propter modicum interuallum Eccleſiæ veteris, & nouæ, & longos Cleri ordines longius præcederetur aliquam Ciuitatis partē circumeundo, & peruentum eſſet ad S. Ambroſij maioris ſucceſſerunt oneri R. P. Abbates & ſeniores Monaci dictæ Congregationis cuculati qui enim ad dictam Plateam reuerſi eſſent, ibi pænes pontem præfatus Illuſtriſs., & Reuerendiſs. Cardinalis Archiepiſcopus, & cæteri nuncupati ordinarij, iterato capſas ipſas ſumpſerunt, & detulerunt ad Ædem nouam S. Victoris cum maxima copia luminarium, & depoſitis ōnibus ipſis capſis, ſeu Arcis ſuper altare maius dictę Eccleſię, decātatę fuerūt rogationes & per pręfatū Illuſtriſs. & Reu.mum Cardinalē recitate multę Orationes Sanctorū, mox etiam celebrata fuit Miſſa in cantu per ordi-

narios

narios Eccleſiæ *M*aioris, & facto ſermone ab ipſo Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Antiſtite ab ipſa Eccleſia receſſit, & eius iuſſu capſæ prædictæ remanſerunt ſupra dicto Altari vſq; ad horas Veſperarum, qua hora reuerſus ipſe Illuſtriſs. & Reuerndiſs. Cardinalis dictas capſas, ſeu Arcas ligneas, tolli, & reponi, & cuſtodiri mandauit in ſcurolo ſubtus Altare dictæ Eccleſię. Itaq; factum fuit ad præſentiam præfati Illuſtriſs. & Reuerendiſs. *D*omini Cardinalis *A*rchiepiſcopi exiſtentis in ſcurolo dictæ Eccleſiæ, nomine Sancti Victoris, & ipſius Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Domini Cardinalis mandato, & iuſſu facta fuit recognitio capſarum lignearum & ſigillorum ſuper eis impreſſorum, & nullam fraudem, violentiamq; factam fuiſſe, & omnia non violata, ſed ſalua inuenta fuiſſe, & ſtatim iuſſit *A*rcas ipſas ligneas aperiri, & ex eis extrahi oſſa, & *C*orpora Sanctorum, & illa reponi in capſis, ſeu

Arcis

Arcis plumbeis ad hunc effectum fabricatis. Itaq; per præfatum Reuerendum Dominum D. Clementē Abbatem prędicti Monaſterij S. Victoris. Reuerendum Dominum D. Philippum de Mediolano ex Reuerendis Patribus Viſitatoribus dictæCōgregationis Oliuetanę, & Abbatem Monaſterij Beatæ Virginis Mariæ loci Neruiani, & Reuerendum Dominum D. Hieronymum de Armatis de Cremona Abbatem Monaſterij Beatæ Virginis loci Bedagij, accepta fuit capſa lignea ſatis alijs amplior, & ea prius cum ſigillis recognita fuit vt ſupra, & ea aperta extracta fuere corpora ſeu oſſa, & reliquiæ Sanctorum cum ſuis capitibus numero ſex, quæ recondita fuerunt in capſa plumbea fabricata vt ſupra, & ſtatim cum ſuo coperto plūbeo clauſa, & circum circa implumbata & in partem dimiſſa, quouſque alię eodem modo perficerentur. Secundo accepta fuit capſa lignea quæ erat ſi-

gillata

gillata duobus ſigillis vlz. B. Virginis & S. Victoris, & ſign. A. recognita vtſupra, & aperta ab ea extractum fuit caput vnum integrum & dimidium alterius capitis parui à parte faciei & ea inuoluta fuere ſandali albo cum oſſo paruo, & cum terra reperta in ipſa capſa, & repoſita in capſula plumbea cum ſuo coperto plumbeo clauſa, & implumbata circumcirca. Tertia capſa ſignata B. ſigillata duobus ſigillis vt ſupra, & ea recognita, & aperta vt ſupra ab ea extracta fuere oſſa trium corporum Sanctorum cum ſuis capitibus, & omnia inuoluta ſandali rubeo repoſita fuere in alia capſa plumbea cum coperto clauſa, & implumbata circumcirca vt ſupra. Quarta Capſa ſignata C. ſigillata, & recognita vt ſupra ab ea extracta fuere oſſa duorum corporum Sanctorum ſeparata cum ſuis capitibus vlz. vnum corpus ſupra alterum, prout ita ſub Altari veteri iacebant, & inuoluta Sandali albo, re-

poſita

poſita fuere in capſa plumbea habente diuiſorium, ſeu intermedium pro ſeparatione ipſorum Sanctorum corporum, & oſſa corporis Sancti quod ſuperius erat, reconditum fuit in capſa plumbea in parte ſignata A.& alterum quod erat inferius in ipſa capſa in parte ſignata B. dehinc capſa ipſa fuit clauſa, & circumcirca implumbata vt ſupra. Quinta capſa lignea ſigillata duobus ſigillis S. Victoris inſcripta S. V., in qua adſunt oſſa S. Victoris cum ſuo capite. Sexta Capſa lignea ſigillata vt ſupra cum inſcriptione S.S., in qua adſunt oſſa corporis S. Satyri cum capite ſuo. Hæc enim duo corpora recondita fuere in capſa plumbea intermediata eo met ordine, quo legitur in viſitatione prædicta diei vigeſimi facta per Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Cardinalem ſcilicet á latere dextero ſign. *S.* Vict. reconditum fuit corpus *S.* Victoris in ſandali rubeo cum capite inuolutũ ſandali rubeo propter ſeparatio-

tionem menti, & in ea parte capſæ poſitus fuit lapis lateritius cum inſcriptione litterarum reuerſarum S. Victor, qui repertus fuit in *A*rca marmorea veteri, prout legitur in prædicta viſitatione. Et ab alio lateræ dictæ *C*apſæ plumbeæ ſignat.S. Satir, reconditum fuit corpus S. Satyri in ſandali viridi cum capite inuoluto ſandali viridi, cum lapide cocto inſcripto S. Satyrus inuentus in Arca veteri, pro vt ſupra legitur. Quæ capſa plumbea fuit clauſa cum coperto plumbeo & implumbata vt ſupra, & tranſportata fuit ſupra in Eccleſiam ad Altare maius, & ſubtus ipſum *A*ltare repoſita in *A*rca marmorea cum feneſtrella ferrea è latere Euangelij, ſuper qua Arca inſcripta ſunt hæc verba vlz. *C*orpora S.S. Vict. mart. & Satyri Confeſſoris ſub Alt.maior.antiqu. *Æ*diū recondit. Inde Greg. XIII. Pont. Max. hūc à Carolo Card.tit. S. Praxedis *A*rchiep. ſolemniter translata ſunt. Sept. cal.

Aug. 1576. Quibus corporibus Sanctis in dicto *A*ltari maiori reconditis, poſitæ etiam fuerunt cineres dictorum corporum Sanctorum Victoris, & Satyri, in vrnis duabus terræ coctæ coloris viridis vna ad dexteram, & altera ad ſiniſtram altaris ſuper quibus inſcripta ſunt hæc verba vlz. collecta ex ſepulcro Sanctorum Vict. martyris, & Satyri Confeſſoris. Quibus ita peractis cum ſero factum eſſet, & hora tarda, præfatus Illuſtriſs. & Reuerendiſs. *D.* Cardinalis iuſſit ſuperſederi à repoſitione aliarum capſarum exiſtentium in ſcurolo in Arca marmorea poſita in ipſo ſcurolo, vſque ad diem craſtinam ſummo mane, & ſic receſſum fuit clauſis prius cum clauibus ianuis, ſeu oſtijs dicti ſcuroli per Reuerendum & Magnificum D. Ludouicum Monetam ex iuſſu præfati Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Cardinalis, quæ claues illicò per eum conſignatæ fuerunt ipſi Illuſtriſs. & Reuerendiſs.

rendiſs. *D.* Cardinali. Et de prædictis iuſſit prefatus Illuſtriſs. & Reuerēdiſs. D. *C*ardinalis, & præfatus Reuerendus D. *A*bbas Monaſterij prædicti S. Victoris rogauit per nos Ioannem Baptiſtam Bonacinam *A*poſtolica auctoritate Notarium, & Franciſcum de Teſſeris, & Tiburtium de Naua publicos Mediolani Notarios, & de venerando *C*ollegio Notariorum huius Ciuitatis publicum confici debere Inſtrumentum vnum, & plura tenoris, & effectus eiuſdem. *A*ctum in dicta Eccleſia *S.* Victoris & eius ſcurolo debite refferendo præſentibus Reuerendo & Magnifico D. Ludouico *M*oneta F. q. Magnifici *D.*Petri, Portæ Nouæ Parochiæ *S.* Euſebij Mediolani. Reuerendo, & Magnifico I. *D. D*omino Ioanne Franciſco á Baſilica Petri Fil. q. Magnifici *D.* Angeli habitante in *C*anonica Eccleſiæ maioris Mediolani, Reuerendo Sacre Theologiæ *D*octore *D.* Iacobo *A*rluno Fil. q. Nobilis *D.* Io: Baptiſtæ co-

morante in Cannonica *S. Ambroſij* maioris Portæ Vercellinæ Mediolani. Ioanne Franciſco della Corua Fil. q. D. Dominici Portæ Vercellinæ Par. S. Matthiæ in Moneta Mediolani; & Nob. Io: Baptiſta de Teſſeris filio pręfati Franciſci Notarij prædicti Portæ Ticinenſ. Paroch. S. Ambroſini in Solariolo Mediolani; Teſtibus omnibus idoneis vocatis, & rogatis. Poſteà vero ſupraſcriptis anno, & indictione die vero veneris Vigeſimo ſeptimò menſis prędicti. Summo mane præfati Reuerendi D. *D*on Clemens Abbas S. Victoris, Don Philippus *A*bbas Neruiani & Viſitator Congregationis, & D. Hieronymus Abbas Bedagij vt ſupra. Ad præſentiam præfatorum Reuerendorum *D*ominorum Ludouici Monetæ, & Ioannis Franciſci à Baſilica Petri, ac Notariorum Franciſci de Teſſeris, Tiburtij de Naua, & Io: Baptiſtæ Bonacinæ Notariorum publicorum infraſcriptorum. Acceſſerunt ad

Alta-

Altare maius dictæ Eccleſiæ nouæ, in quo externa die repoſita fuit capſa plumbea implumbata cum corporibus Sanctorum Victoris, & Satyri, & cum vrnis duabus & viſitato ipſo Altari compertum fuit clauſum, prout heri ſero clauſum fuerat, & tunc ſublato lapide marmoreo, ſeu coperto, in eo præfati D. Abbates poſuerunt aliam vrnam albam terræ coctæ, in qua poſitum erat reliquum cineris collectæ ex prædictis Corporibus Sanctorum Victoris, & Satyri & hoc è latere, ſeu parte Epiſtolæ dicti Altaris & ſtatim repoſitum fuit copertum, & clauſum fuit circumcirca cum lamis ferreis implumbatis. Deinde acceſſerunt inferius ad ſcurolum, & repoſuerunt, & recognouerunt capſas quattuor plumbeas heſterna die repoſitas in ipſo ſcurolo, & tunc accepta capſa plumbea numero quarto intermediata ſign. A, & B. depoſita fuit in Arca lapidea poſita in dicto ſcurolo à parte Euangelij

Altaris

Altaris dicti ſcuroli in hunc modum commodata ſcilicet pars ſignata A. á parte dextera verſus Orientem & pars ſignata B à parte ſiniſtra prout ea corpora iacebant in *A*rca veteri á parte Euangelij altaris veteris Eccleſiæ S. Victoris vnus ad dexteram, & alius ad ſiniſtram, ſuper qua etiã capſa plumbea pro facti clariori intelligentia inſcripta fuerunt hæc verba vlz. in parte ſignata A. erant á cornu Euengelij ad dexteram, & in parte ſignata B. à cornu Euangelij ad lęuam exinde præfati Reuerendi Abbates ad præſentiã vt ſupra, acceperunt capsã plumbeam ſub numero primæ capſæ & in qua recondita fuere oſſa Sanctorum cum capitibus ſex, eamq; repoſuerunt in *A*rca lapidea ſub altari dicti ſcuroli, eo ordine, quo iacebat ſub *A*ltare veteri veteris Eccleſię S. Victoris ſupra Arcam S. Victoris & ſuper dicta capſa plumbea inſcripta fuerunt hæc verba vlz. erant ſupra Arcam SS. Victoris, & Saty-

& Satyri. Deinde acceperunt tertiam capſam plumbeam paruam eamq; repoſuerunt in alia Arca lapidea intrando cappellam dicti ſcuroli. Poſt modũ pariter acceperunt ſecundam capſam plumbeam, in qua ſunt recondita oſſa trium Sanctorum Corporum, quam depoſuerunt in alia Arca lapidea in dicto ſcurolo à parte Epiſtolæ dicti ſcuroli, ſuper qua inſcripta ſunt hæc verba vlz. erat a cornu Epiſtolæ. Quæ omnes Arcæ lapideę ſuperpoſitis ſuis copertis lapideis clauſæ fuerunt cum lamis ferreis implumbatis. Pariter etiam in ipſo ſcurolo in angulo a parte dextera intrando Cappellam dicti ſcuroli repoſita reperitur illa Arca marmorea ſatis magna, vt ibi relatum fuit repecta fuerat prope Altare veteris Eccleſiæ S. Victoris á parte Epiſtolæ plena oſſibus, & reliquijs, quę arbitrantur, oſſa Sanctorum, & quæ Arca ita intacta ordinatum fuerat in eo loco reponi, pro vt legitur ex prędicto

dicto Inſtrumento rogato per præfatum Reuerendum D. Benedictum Cittadinũ Prothonotariũ,& pro vt ſupra. Et de prædictis rogatum fuit per nos præfatos proxime Notarios vt ſupra. *A*ctum in dicta Eccleſia noua S. Victoris, & in ſcurolo eiuſdem debitè refferendo præſentibus ibidem præfatis Reuerendis D. Ludouico Moneta, & Io. Franciſco á Baſilica Petri, *M*ultum Reuerendo D. Ferrando della Cruce Eccleſiæ *M*aioris Mediolani Archidiacono fil. Mag. D. Io. Marci habitante in canonica Eccleſiæ Maioris, D. Io. Franciſco della Corua fil q. D. Dominici Portæ Vercellinæ Paroch. S. Matthiæ in Moneta, & M. Petro de Plantanidis fil. q. *D.* Baptiſtę Portæ Vercellinæ Parochiæ S. *M*artini ad Corpis foris *M*ediolani teſtibus idoneis &c.

Inſtrumentum cum ſigno Tabellionatus antepoſito.

Ego Franciſcus de Teſſeris filius quond. ſpec. D. Bar-

D. Bartholomæi Ciuitatis Mediolani Portæ Ticinenſis Paroc. S. Ambroſini in Solariolo, publicus Apoſtolica; Imperialiquè auctoritatibus Notarius rogatus tradidi; & in fidem ſubſcripſi. &c.

Concordat *cum alio ſimili authentico mihi exhibito et per me lecto, & examinato; & quia concordare inueni; Ideo ego* Carolus *Moneta Fil. q. Ioannis P. O. P.* S. *Babylæ foris Mediolani publicus* Apoſtolica, & Curiæ *Archiepiſcopalis Mediolani auctoritatibus Notarius ac in eadem* Curia *Notarius* Coadiutor *pro fide ſubſcripſi.*

Nos Cæſar *de Bland. I. V. D.* Apoſtolicus *Prothonotarius Archidiaconus Vercell &* Curiæ *Archiepiſcopalis Mediolani Vicarius Generalis &c. Vniuerſis fidem facimus, & atteſtamur iſtum D. Carolum Monetam fuiſſe & eſſe talem qualem ſe ſubſcripſit, eiuſq; Inſtrumentis actis & ſcripturis publicis huiuſmodi ſemper adhibitam fuiſſe indieſque adhiberi plenam & indubiam fidem in iudicio & extra.*

In quorum fidem &c. Mediolani ex

ni

Palatio Archiepiſcopali die quinto Septembris 1656.

Caſar B. V. G.

Locus ✠ Sigilli.

Iulius Caſar Gerenzanus Notarius Coadiutor in Cancell. Archiep. Mediolani pro fide ſubſcripſit.

In

IN Nomine Domini Amen. Anno á Natiuitate eiuſdem Milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, Indictione quinta decima, die Sabbati vigeſimo tertio menſis Martij, Pontificatus SS. D. N. D. Clementis Diuina prouidentia Papæ Octaui anno vndecimo. Cum in Inſtrumentis recognitionis, translationis, & repoſitionis ſingulariter & debitè refferendo olim ſcilicet vſq;de anno 1576. diebus xiij. xx. & xxvj. mẽſis Iulij ac xxvij. menſis prædicti á Beato Carolo olim Cardinali & Archiep. Mediolani factarum Corporum SS. Victoris Martyris, & Satyri Confeſſoris, ac ſacrarum Reliquiarum & Corporum, Oſſiumq; & Cinerum plurimorum aliorum Martyrum, & Confeſſorum ſub Altare maius Eccleſiæ antiquæ Reuerend. Abbatis & Monachorum Monaſterij S. Victoris extra

Palatio Archiepiſcopali die quinto Septembris 1656.

Caſar B. V. G.

Locus ✠ Sigilli.

Iulius Caſar Gerenzanus Notarius Coadiutor *in* Cancell. *Archiep. Mediolani pro fide ſubſcripſit.*

In

IN Nomine Domini Amen. Anno á Natiuitate eiuſdem Milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, Indictione quinta decima, die Sabbati vigeſimo tertio menſis Martij, Pontificatus SS. D. N. D. Clementis Diuina prouidentia Papæ Octaui anno vndecimo. Cum in Inſtrumentis recognitionis, translationis, & repoſitionis ſingulariter & debitè refferendo olim ſcilicet vſq;de anno 1576. diebus xiij. xx. & xxvj. mẽſis Iulij ac xxvij. menſis prædicti á Beato Carolo olim Cardinali & Archiep. Mediolani factarum Corporum SS. Victoris Martyris, & Satyri Confeſſoris, ac ſacrarum Reliquiarum & Corporum, Oſſiumq;& Cinerum plurimorum aliorum Martyrum, & Confeſſorum ſub Altare maius Eccleſiæ antiquæ Reuerend. Abbatis & Monachorum Monaſterij S. Victoris extra

Portam Vercellinam *M*ediolani olim exiſtentium rogatis vno per Multum ReuerendumD. Benedictum Cittadinũ Prothonotarium Apoſtolicum & Ordinarium Eccleſiæ *M*aioris *M*ediolani, vno alio per *M*ultum Reuerendum I. V. D. Dominum Ioſephum *M*aſcardum Prothonotariũ Apoſtolicũ eiuſdem Beati Cardinalis & Archiepiſcopi tunc Vicarium, & alijs per Io. Baptiſtam Bonacinam Apoſtolica auctoritate Notarium, & Franciſcum de Teſſeris ac Tiburtium Nauã publicos Mediolani Notarios, inter cætera adſit capitulũ tenoris ſequẽ. vlz: Quinta Capſa lignea ſigillata duobus ſigillis S. Victoris inſcripta S.V. in quã adſunt Oſſa S. Victoris cum ſuo Capite. Sexta Capſa lignea ſigillata vt ſupra cum inſcriptione SS in qua adſunt Oſſa Corporis S. Satyri cum capite ſuo. Hæc enim duo Corpora recondita fuere in capſa plũbea intermediata eo met ordine, quo legitur in viſitatione prædicta diei vi-

gesimi

geſimi facta per Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Cardinalem ſcilicet a latere dextro ſignata *S.* Vict. reconditum fuit Corpus S. Victoris in ſandali rubeo cum capite inuolutum ſandali rubeo propter ſeperationem menti, & in ea parte Capſæ poſitus fuit lapis lateritius cum inſcriptione litterarum reuerſarum *S.* Victor qui repertus fuit in Arca marmorea veteri pro vt legitur in prędicta viſitatione. Et ab alio latere dictæ Capſæ plumbeæ ſignat. S.Satyr reconditum fuit Corpus S. Satyri in ſandali viridi cum capite inuoluto ſandali viridi cum lapide cocto inſcripto *S.* Satyrus inuento in *A*rca veteri pro vt ſupra legitur quæ *C*apſa plumbea fuit clauſa cum coperto plumbeo, & implumbata vt ſupra & tranſportata fuit ſupra in Eccleſiam & ad *A*ltare maius & ſubtus ipſum Altare repoſita in Arca marmorea cum feneſtrella ferrea è latere Euangelij, ſuper qua Arca inſcripta ſunt hæc verba vlz. *C*orpora

pora SS. Vict. *M*art. & Satyr. Confeſſoris ſub Altari maiori antiquarum Ædium recond. Inde Greg. xiij. Pont. *M*ax. huc á Carolo Cardinali tit. S. Praxedis Archiep. ſolemniter translata ſunt Sept. kalen. *A*uguſti 1576. cumq; præfati Reuerendi Abbas, & *M*onachi dicti Monaſt. *S.* Victoris, ob inſignitatem dictarum reliquiarum pręcipue vero Capitum dictorum SS. Victoris, & Satyri, & ob eorum erga dictos Sãctos reuerentiam, honorem & deuotionem, & ad hoc vt pietatis deuotioniſq; excitandæ cauſa pro dierum ratione pijs Chriſti fidelibus exponi poſſint, & in proceſſionibus de more ferri thecas duas argẽteas magni ponderis & valoris fieri curarint, in vna quarũ Caput eiuſdem S. Victoris, in altera vero Caput S. Satyri recondantur, & ad id requiſierint Illuſtrem & Reuerendiſs. I. V. *D.* Dominum *A*ntonium Senecam Decanum Eccleſiæ *M*aioris *M*ediolani, qui vt piæ, & honeſtæ petitioni

titioni

titioni præfatorum Reuerendorum Abbatis & *M*onachorum ſatisfaceret, & pro præmiſſorum omnium, & ſingulorum plena, & omnimoda executione hodierna die vna cum me notario infraſcripto ſe contulit ad dictam Baſilicam S. Victoris ibiq; ipſe Reuerendiſſimus *D*. Seneca pluuiali indutus, vna cum M. Reuerendo Patre Don Michaele *A*bbate dicti Monaſterij pariter pluuiali induto; & Reuerendo D. Philippo de Mediolano Abbate Vicoboldoni, de Sacriſtia exijt præcedẽtibus Monachis dicti *M*onaſterij cum quatuor Intortitijs & facta ante Altare maius oratione dum motectum cantaretur in Organo, & aperto ipſo *A*ltari maiori, & Tabula marmorea ſuperiori amota, recognita fuerunt quæ in eo continebantur & in ſtipite *A*ltaris in medio, reperta fuit capſula magna plumbea cuius operculum erat implũbatum, Ita vt nullo modo aperiri poſſet. A dextris vrna viridis coloris.

A par-

A parte ſiniſtra vrnę itidem duę altera viridis, altera rubei coloris. In angulo Altaris prope vrnam rubeam vaſa quædam inſtar canalium in quibus fortè ſunt Cineres: Ipſaq; capſa plumbea educta & ſuper menſa collocata præfatus Reuerendiſs. D. Seneca incenſauit, factaq; eius recognitione reperta eſt ſignata à latere dextro S.V. & ab alio latere S. Sa. & quod Reliquię erant inuolutæ illæ quidem S. Victoris ſignate S. V. à parte anteriori ſericó rubeo illæ vero S.Satyri ſignate *S.* Sa. ſerico viridi à parte poſteriori. *A*moto velo rubeo repertũ eſt inter ſacra oſſa per multa S. Victoris in vna parte Caput eiuſdẽ S. Vict. ſerico rubeo inuolutum. Quibus ſic recognitis præfatus Reuerendiſs. Seneca, vna cum M. R.P. Abbate ſupraſcripto partes minores *C*apitis mentum ſcilicet & aliquos dentes á reliquo *C*apitis ſeparatos ſerico eodem inuolutos repoſuit in eadem *C*apſa loco vbi prius erant. *P*ars vero

Capi-

Capitis ſuperior integra, mento excepto, fuit velo rubeo nouo inuoluta, & repoſita in theca argentea honorifice confecta, ad effectum de quo ſupra. Et duo dentes in pixide argentea repoſiti fuerunt ad partem, pro Illuſtriſs. Cardinalibus Borromeo & Sfondrato. In eadem Capſa á latere verſus litteras exteriores repertus fuit later fictilis cum litteris antiquis. *S.* Victor ordine retrogrado ſcriptis. *D*einde amoto velo viridi in alia parte intermediata ſimiliter reperta fuerunt oſſa permulta, ita vt plena eſſet ſacris Oſſibus S. *S*atyri, & inter alia caput velo viridi inuolutum, cum latere perantiquo ſcripto S. Satyr. His pariter ſic recognitis præfati Reuerendiſs. Seneca & *A*bbas ſupraſcriptus duobus dentibus ad partem in eodem prixide repoſitis pro præfatis Illuſtriſs. Dñs. Tum reliquijs S. Satyri corporali mundo tectis; *C*aput integrum velo albo nouo inuoluerunt & in theca argentea honorifi-

ca repoſuerunt ad effectum de quo ſupra. Hiſq; peractis præfatus Reuerendiſſimus D. Seneca, & Reuerendi Abbates prędicti Thecis argenteis acceptis proceſſionem fecerunt circa Eccleſiam ſub baldachino præcedentibus Monachis cum luminibus, & inde Iuerunt ad confeſſionem, vbi repoſitis Thecis ſuper Altari miſſa celebrata eſt à prefato Reuerendiſs. D. Seneca. Interea vero Capſula prædicta operculo ſuo cooperta, ac plumbo implumbata, repoſita fuit in dicto Altari ſuo loco, deinde vrnæ & capſula prædicta fuerunt panno ſerico quem brocatellum vocant coloris aurei tectæ; Tum ſtipes Altaris tectus fuit lapide integro ſericeo impolito, deinde menſa Altaris ſuper poſita pro vt ante erat, & opere cęmentario, ac ferreis quibuſdam clauibus, ac plumbo cum ſtipite firmata, in cuius quidem Altaris ſtipite á parte anteriori ſunt ſcripta litteris grãdioribus in marmore inciſa, verba illa vt ſu-

pra

pra in prima narratiua huius Inſtrumenti deſcripta. Celebrata vero miſſa reconditæ fuerunt thecæ prædictæ argenteæ in quibus incluſa fuerunt ſacra Capita in reliquiario quod ſupra Altare confeſſionis fabricatum eſt, cuius crates ferrea, quatuor clauibus munita eſt, diuerſo opere fabrili confectis, præter antas nuceas exterius auro ornatas, ſeu depictas & cum verbis ſequentibus. In antea dextra. Sanctorum petenda ſunt ſuffragia. In anta ſiniſtra. Vt ipſi ſupplicent pro Eccleſia. Beda. Et de prædictis, &c. Actum vt ſupra ſingula ſingulis congrue refferendo, prȩſentibus Reuerendo D. Gabriele Palauicino Clerico Mediolani habitante in Ædibus S. Sepulchri Mediolani, & M. R. S. T. D. Domino Io. Paulo de Clericis Præpoſito Congregationis Obiatorum, ambobus teſtibus idoneis ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atq; rogatis, ac etiã prȩſẽtibus quã pluribus alijs perſonis;

Inſtrumentum cum ſigno Tabellionatus antepoſito.

Ego Iacobus Antonius Cerrutus *F.q. Baptiſtæ P. Romanæ Par.* S. *Nazarij in Brolio Mediolani publicus Apoſtolica auctoritate,* & Curiæ Archiepiſcopalis *Mediolani Notarius rogatus tradidi, & in fidem me ſubſcripſi.*

Concordat *cum alio ſimili authentico mihi exhibito et per me lecto, & examinato, & quia concordare inueni; Ideo ego* Carolus *Moneta Fil. q. Ioannis P. O. P.* S. *Babylæ foris Mediolani publicus* Apoſtolica, & Curiæ *Archiepiſcopalis Mediolani auctoritatibus Notarius ac in eadem* Curia *Notarius* Coadiutor *pro fide ſubſcripſi.*

Nos Cæſar *de Bland. I. V. D.* Apoſtolicus *Prothonotarius Archidiaconus Vercell. & Curiæ Archiepiſcopalis Mediolani Vicarius Generalis &c. Vniuerſis fidem facimus, & atteſtamur iſtum D. Carolum Monetam fuiſſe & eſſe talem qualem ſe ſubſcripſit, eiuſq; Inſtrumentis actis & ſcripturis publicis huiuſmodi ſemper adhibitam fuiſſe indieſque adhiberi plenam*

&

& indubiam fidem in iudicio & extra.

In quorum fidem &c. Mediolani ex Palatio Archiepiſcopali die quinto Septembris 1656.

C. *B. V. G.*

Locus ✠ Sigilli.

Iulius Cæſar Gerenzanus Notarius Coadiu-*tor in* Cancell. *Archiep. Mediolani pro fide ſubſcripſit.*

Priſca

Priſca Documenta quibus Face VI. diximus aſtrui exiſtentiam Corporis Sancti Victoris in Portiana hic referuntur.

ATteſtor ego Notarius infraſcriptus, qualiter in Inſtrumento antiquo in carta pergamena conſcripto, exiſtente in Archiuio Venerandi Monaſterij S. Victoris ad Corpus Mediolani, donationis, ſcilicet, factæ per Gotifredum filium Aycardi de loco Barate fauore Arderici Abbatis Sancti Victoris Mediolani, rogato per Ioannem Notarium Sac. Pallatij, & Iudicē Mediolani degentem, die nona Martij, Idictione ſeptima, Imperij Secundi Henrici Imperatoris Auguſti anno octauo, inter alia leguntur hęc verba videlicet. *Monaſterio Beati Chriſti Martyris Victoris, vbi eius Sanctum quieſcit Corpus*

pus. Et vt latius legitur dicto Inſtrumento debitis ſolemnitatibus vallato, per me diligenter viſo, & examinato, & in eodem Archiuio repoſito cui &c. Et pro fide me ſubſcripſi hac die vigeſima ſeptima Sepeembris 1656.

Franciſcus Caratus fil. Aloyſij pub. Apoſtolica Imperialiq; auctoritatibus Me*diolani Notarius In fidem ſubſcripſit &c.*

N*Os Petrus Iacobus* M*acchius, & Franciſcus* M*aria Zarara Abbates Vniuerſitatis* C*ollegij Dominorum Notariorum* M*ediolani, fidem facimus, & atteſtamur dictum Franciſcum* C*aratum eſſe publicum* Me*diolani Notarium, eiuſq; ſcripturis ab eo ſicut vt ſupra ſubſcriptis, plena adhibetur fides in iudicio, & extra, In quorum fidem &c*

M*ediolani die* 27. *Septembris* 1656.

Locus ✠ Sigilli.

C*arolus* M*aynus* M*odronus*

V. Cancell.

Atte-

ATteſtor ego Notarius infraſcriptus, qualiter in Inſtrumento antiquo in carta pergamena conſcripto exiſtente in Archiuio Ven. Monaſterij S. Victoris Mediolani. Cambij ſcilicet ſequuti inter Reuerendiſs. *D.* Arnulphum Archiepiſcopum *M*ediolani, & Alteramum Abbatem S. Victoris de nonnullis bonis de Lorentigio rogato per *D*auid Notarium Mediolani anno primo Regni Henrici in Italia, ſub die primo Aprilis,& manu propria eiuſdem Arnulphi, & aliorum ſex Iudicum Sac.Palatij ſubſcripto, inter alia leguntur hæcverba videlicet;*Nec non & D. Alteramus Religioſus Abbas* M*onaſterij Beati Chriſti* M*artyris Vict.vbi eius Sãctũ Corpus requieſcit.* Et vt latius legitur dicto Inſtrumẽto debitis ſolẽnitatibus vallato, per me diligẽter viſo,&examinato,&in eodẽ Archiuio repoſito cui &c. Et pro fide me ſubſcripſi hac die 27.Sep. 1656.

Franc.' Caratus *pub.'* A*poſt. Imperialiq; auct.'Mediol. Not.' in fidem ſubſcripſit.*

Atte-

ATteſtor ego Notarius infraſcrip. qualiter inInſtrumēto ātiquo in carta pergamena cōſcripto, exiſtēte in Archiuio Venerādi Monaſterij S. Victoris adCorpusMediolani;Inueſtiturę ſcilicet libellariæ factæ per Gotifredū Abbatem dicti Monaſterij S. Victoris, in Pollonem Lampugnanum de bonis Curti Iuris dictæ Abbatiæ, rogato per Ambroſiū Notariū, & Iudicē Mediolani,de anno 1093. die 11. Aprilis, Indictione prima, inter alia leguntur hęc verba vlz. *Placuit atq; conuenit inter Gotifredum Dei gratia humilem Abbatem Monaſterij S.Victoris vbi eius Sāctū quieſcit Corpus*.Et vt latius legitur dicto Inſtrumēto, debitis ſolemnitatibus vallato,per me diligenter viſo, & examinato,ac in eodem Archiuio repoſito, cui &c. Et pro fide me ſubſcripſi, hac die 27. Sep. 1656.

Franciſcus Caratus pub.Apoſt.Imperialiq; auctoritatibus Mediolani Notarius in fidem ſubſcripſit &c.

ATteſtor ego Notarius infraſcriptus, qualiter in Inſtrumẽto antiquo in carta pergamena conſcripto, exiſtente in Archiuio Venerandi Monaſterij S. Victoris ad Corpus Mediolani; donationis ſcilicet factæ per Gotifredum & Zurlanam Iugales de Landriano, fauore Venerandi Monaſterij S. Victoris prædicti, rogato per Ayraldum, & Leonẽ Malcauacam Notarios Sac. Pallatij Mediolani degentes, die 3. Februarij 1141. inter alia legũtur hæc verba, vlz. *In Eccleſia & Monaſterio S. Victoris vbi eius Sanctum requieſcit Corpus conſtructo*. Et vt latius legitur dicto Inſtrumento, debitis ſolemnitatibus vallato, per me diligenter viſo, & examinato ac in eodem Archiuio repoſito, cui &c. Et pro fide me ſubſcripſi, ac die 27. Septembris 1656.

Franciſcus Caratus pub. Apoſtolica Imperialiq; auctoritatibus Mediolani Notarius in fidem ſubſcripſit &c.

Atte-

ATteſtor ego notarius infraſcriptus, qualiter in Inſtrumẽto antiquo in carta pergamena conſcripto exiſtente in Archiuio Venerandi Monaſterij S. Victoris ad Corpus Mediolani relaxationis, ſcilicet, factæ per Auguſtinum Arconatum de duabus partibus ex tribus pro indiuiſo petiæ vnius terræ prati, poſitæ in loco Curti fauore Monachorum S. Victoris rogato per Ambroſium de Capite muro notarium Sac. Pallatij Mediolani degentem, die 14. Iulij. 1175. Indictione octaua leguntur inter cætera hæc verba vlz. *Vbi erant Monachi Monaſterij S. Victoris ſitum propè hanc Ciuitatem Mediolani, vbi eius Sanctum requieſcit Corpus.* Et vt latius legitur dicto Inſtrumento debitis ſolemnitatibus vallato, per me diligẽter viſo, & examinato, ac in eodem Archiuio repoſito, cui &c. Et pro fide me ſubcripſi hac die 27. Sept. 1656.

Franc. Caratus pub. Apoſtolica Imperialiq; auct. Med. not. in fidem ſubſcripſit. &c.

ATteſtor ego notarius infraſcriptus qualiter in Inſtrumento ſententiæ latæ per Gulielmum Calzagriſam Conſulem Mediolani, fauore D. Ambroſij Abbatis Eccleſiæ Monaſterij S. Victoris contra Villanos de loco Agracino rogato per Caſtegnianegam Mediolani notariũ die ſabbati quarto kal. Septẽbris 1181. cõſcripto in carta pergamena, exiſtente in Archiuio V. *Mo*naſterij prędicti *S.* Victoris *M*ediolani, inter alia leguntur hæc verba videlicet. *Inter D. Ambroſium Abbatem Eccleſiæ* Mona*ſterij* S. *Vict. vbi eius* Sanct*ũ requieſcit Corpus.* Et vt latius legitur dicto Inſtrumento debitis ſolemnitatibus vallato, per me diligenter viſo, & examinato, ac in eodem Archiuio repoſito, cui &c. Et pro fide me ſubſcripſi hac die vigeſima ſeptima Settembris 1656.

Franciſcus Caratus publicus Apoſtolica Imperialiq; auctoritatibus Mediolani *notarius in fidem ſubſcripſit. &c.*

Atte-

ATteſtor ego Notarius infraſcrip. qualiter in Inſtrumẽto ãtiquo in carta pergamena cõſcripto exiſtẽte in Archiuio V. Monaſt. S. Vict. ad Corpus Med^n. Inueſtiturę ſz. ſimplicis factę per D. Ambroſiũ Abbatẽ Eccleſiæ Monaſt. B. Victoris, in Grapiũ, qui dicitur Abbas, de Ciuitate Mediolani, rogato per Ioannẽ Cagabarer Sac. Pallatij notariũ, Mediolani degẽtẽ anno Dominicę Incarnationis 1182. quarto Cal. Februarij, Indictione quinta decima, inter cætera leguntur hæc verba ſequentia viz. D. *Ambroſius Abbas Eccleſia Monaſterij Beatiſs. Victoris Martyris, vbi eius Sanctum requieſcit Corpus.* Et vt latius habetur dicto Inſtrumento debitis ſolemnitatibus vallato, per me diligenter viſo, & examinato, ac in eodem Archiuio repoſito, cui &c. Et pro fide me ſubſcripſi hac die 27. Septembris 1656.

Franciſcus Caratus Fil. Aloyſij pub. Apoſtolica Imperialiq; auctoritatibus Mediolani notarius in fidem ſubſcripſit. &c.

Nos

NOs Petrus Iacobus Macchius, *&* Fran-*ciſcus* Maria *Zarara* Abbates *Vniuerſitatis* Collegij *Dominorum Notariorum* Mediolani, *fidem facimus, & atteſtamur dictum* Franciſcum Caratum *eſſe publicum* Mediolani *Notarium, eiuſq; ſcripturis ab eo ſicut vt ſupra ſubſcriptis, plena adhibetur fides in iudicio, & extra, In quorum fidem &c*

Mediolani *die* 27. *Septembris* 1656.

Locus ✠ Sigilli.

Carolus Maynus Modronus
V. Cancell.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Errata			*Correcta*
In Titulo lin.	10	Monaco	Monacho
Pag. 3	4	Abbas	Abbatis
Prolegom.			
Pag. 1 retro	15	inſulptam	inſculptam
Pag. 4	13	irratus	iratus
Pag. 8 retro	1	afferentes	afferentibus
Pag. 9	21	Santi	Sancti
		In Facibus	
Pag. 8	10	ſicura	ſecura
12	17	hiſtoriæ	hiſtoricæ
14	3	appatus	apparatus
15	6	carius	charius
16	13	inuentum	in ventum
19	20	innundantis	inundantis
31	8	ſuſcitandi	ſciſcitandi
35	9	vbi ſtatutis	vbi ſtatuis
41	23	uon	non
45	12	Bonus Bonius	Bonus Boninus
46	19	dimidatio	dimidiatio
51	5	ætera	æthera
54	6	Lanrentium	Laurentium
86	15	delactum	delatum
89	4	nihiloſcetius	nihiloſecius
93	17	reliquias	reliquas
96	12	noblitate	nobilitate
97	13	Gauluaneus	Galuaneus
99	21	extimandi	æſtimandi
107	6	plaſmodiæ	pſalmodiæ
109	6	præfert	perfert
111	17	ſtationalis	ſtationalium
141	12	materibus	materiebus
176	1	oſtionum	oſtiorum
176	21	munima	munimina
179	7	inſidis	inſidijs
179	20	indigebant	indigebat
180	18	Patris	Patrum
182	4	vocaret	vacaret
185	7	Cænobrarchæ	Cænobiarchæ
192	16	translato	translatio
213	11	ad altero	ab altero

		Errata	*Correcta*
218	15	nam quo	nam quomodo
221	18	iaterpretationem	interpretationem
232	11	propriorem	propiorem
233	18	effodiendi	effodienti
239	15	Chonographorum	Chronographorum
240	12	I nunc e lapidibus fide	I nunc & lapidibus fide
249	18	conſiſtam	conſitam
250	9	intereat	intererat
265	1	Dulingo	Dungalo
266	16	Reliquus	Reliquijs
267	4	proſtrant	proſtant
274	9	indagatur	indagator
285	7	loeum	locum
291	11	ſunt	ſunto
292	3	ſubſtollendam	ſuſtollendam
295	10	Saellorum	Sacellorum
302	3	obnent	obtinent
308	12	Santi	Sancti
323	2	eorum	earum
326	9	opponis	oppones
332	8	qrod	quod
333	1	muſſilauerit	muſſitauerit
335	4	Eccleſiaſticus	Eccleſiaſticis
347	21	mulatum	tumulatum

Errata leuiora benignus Lector ex ſe animaduertet, excuſabit, & corriget.

A. PANDIMIGLIO
RESTAURO - CODICI
PERGAMENE - STAMPE
Via Podere Rosa, 184